Fragmenta
historica
HUNGARIAM
attinentia.

Posonii,
typis Haeredum Belnayanorum
1832.

Intelligo, te Frater, alias in historia leges observandas putare, alias in poëmate. Quippe cum in illa ad veritatem referantur, in hoc ad delectationem pleraque.

Cicero de legibus Libr. 1-mo.

F r a g m e n t u m I.

De Statu Praelatorum in Hungaria.

F r a g m e n t u m II.

De educatione et institutione Juventutis in Hungaria.

F r a g m e n t u m III.

De Parochorum Catholicorum nobilitari praerogativa, deque eorundem suffragiis in Sedibus Comitatuum in Hungaria restauratoriis.

FRAGMENTUM I.

De Statu Praelatorum in Hungaria.

§. 1.

Praelati nobis qui?

Inter Status regni jam inde a temporibus S. Stephani primum obtinet locum Status Praelatorum a), quo nomine veniunt non omnes Ecclesiastici status viri, verum ex his illi, qui jure suffragii in Comitiis regni gaudent, — — — — Archiepiscopi videlicet, Episcopi non modo Dioecesani, sed etiam titulares b), Capitula porro tam Cathedralia, quam Collegiata, Abbates demum nonnulli et Praepositi ac Priores, quorum aliqui etiam in Tabula Procerum consident c).

a) Vid. Decr. S. Steph. libr. 1. Cap. 8.

b) Illi nimirum Episcopi titulares, quos Rex nominat; *nam licet Ecclesiastici,* inquit

Pazmanus, *in regno Hungariae mandato suae Sanctitatis obediant; nemo tamen secularium vel titulum agnoscet Episcoporum, quem Rex non nominabit, nemo ad publicos consessus tanquam Episcopum admittet, nemo locum in Comitiis, ac judiciis illis permittet.* **Ita ille in discursu brevi circa motam in Curia Romana difficultatem de titularibus Episcopis Hungariae, quibus recte ista subjungit,** *quod titulares Episcopi Hungariae non sint nude titulares; nam hi Episcopi locum, sessionem, jus suffragii in Comitiis, ac judiciis aeque retinent, atque dum residebant.* **Nec obstat Episcoporum titularium in Comitiis ac judiciis Sessioni cum jure suffragii Pacific. Viennensis ad 5-um §. 3. item 1608. Articulus 6. ante coronat. qui §. 2. ita habet:** *ne tales Episcopi, qui residentias Episcopales in suis Ecclesiis, vel jura possessionaria Episcopalia in regno non habuerint, ad consilia admittantur;* **statutum enim hoc intra solas legum tabulas substitit, nec unquam in rem effectam abivit. Duplicis videlicet ordinis erant in Hungaria Episcopi titulares; alii, quorum Sedes et bona intra ipsos regni terminos Turca, dum Hungariam sub jugo teneret, occupavit, atque eapropter Episcopi in variis Capitulis uti Praepositi vel Canonici, aut in aliis quoque beneficiis residebant; isti non obstante supra memorato Articulo nunquam a consultationibus publicis, nunquam a suffragio**

in Comitiis et judiciis arcebantur; cujus rei luculentum sane testimonium habemus in Comitiis anni illico sequentis 1609. Articulo 70, in quo ad supremum appellationis in regno hoc tribunal pro Cojudice e Praelatis nominatur Archiepiscopus Colocensis, ad Tabulam autem Regiam pro Praelatis designantur Episcopi Sirmiensis, Tinniniensis, et Bosnensis, quorum nihilominus omnium et Sedes Episcopales, et jura possessionaria per Turcam tunc occupata, tentaque fuisse indubitatum est. Idem factitatum Articulo 64-to 1618. et quamplurimis sequentibus, ut adeo nulli dubio locus sit, recte Cardinalem Pazmanum affirmasse, aevo suo titulares Hungariae Episcopos sessione ac voto in Comitiis ac judiciis fuisse gavisos, moremque hunc ad nostram usque aetatem continuo perdurasse, ac supra citatam legem non optima ratione tristibus bello Botskaiano rerum adjunctis extortam, et anno 1647. Articulo 99-no, similibus prorsus adjunctis vigentibus, post commotum bellum intestinum, occasione pacificationis Lintziensis, postulante Georgio I. Rakoczi ejusque asseclis, confirmatam, sine omni effectu suapte evanuisse. — Alterius ordinis titulares Episcopi in Hungaria fuerunt, suntque adhuc, quos Reges Hungariae ad Episcopatus in Dalmatia et Servia, provinciis per Venetos et Turcas a Corona regni avulsis, nominare solent: istos quoque non obstante memorato Articulo, per duo fere secula jure

Sessionis et voti in Comitiis ac judiciis usos fuisse, et nunc uti, e tabulis legum, et actis Comitiorum sine ambagibus constat.

Accedit ad cuncta haec, quod Articulus provocatus utpote 6tus 1608. ante Coronationem, etiam illo ipso aevo, quo perlatus erat, observatu impossibilis fuerit. Si enim legi isti exacte juxta verba illius propria mos gestus fuisset, tum vero nullus Archiepiscoporum, et Episcoporum Hungariae, excepto fortasse unico Jaurinensi, in Comitiis, et in Consessu judiciorum adesse, suffragioque gaudere potuisset; omnes enim ferme Archiepiscopi et Episcopi, nominatim Strigoniensis, Colocensis, Agriensis, Vaciensis, Varadinensis, Csanadiensis, Sirmiensis, Quinque-Ecclesiensis, Nittriensis, Vesprimiensis, in eo constituti fuerunt statu, quod nec residentias in sede Episcopatus habuerint, nec jura possessionaria sui Epicopatus tenuerint; sed ista omnia partim per Turcas, partim per Botskaianos, Bethlenianos, et Rákóczianos occupata, suisque asseclis collata, ac dissipata fuerint. Et tamen his non obstantibus illa ipsa Diaeta 1608 anni in Decreti conclusione omnium Hungariae Archi- et Episcoporum nomina subscripta praefert. Quo facto legislatio ejus temporis Articuli hujus sexti secum ipso, et cum Constitutione Hungarica, atque cum sensu et opinione sanioris partis illius aevi pugnantem indolem manifestam reddit, articulumque hunc, velut par-

tum tristium regni adjunctorum lapsu temporis evanidum fieri debuisse ostendit.

Praeterquam, quod superius memorati articuli, videlicet 1-mus 1608-i post coronationem, qui Episcopos residentiam in loco Episcopatus, Capitulum item cum Praeposito non habentes, et articulus 6-us ejusdem anni ante coronationem, illos etiam, qui neque bona Episcopatus sui tenent, a Sessione et voto in Comitiis arcent, in effectum nunquam iverint, nec ire potuerint; illud etiam ex Legibus Patriae luculente eruitur, articulos istos cum vetustioribus Regni hujus Legibus aperta fronte pugnare.

Ad hocce comprobandum adfertur articulus 24-us 1567-i sub Maximiliano II. Imperatore et Rege, qui, quod Episcopis Catholicis cum praejudicio Evangelicorum favere voluerit, suspectus esse non potest, cum Regem hunc Evangelici in Hungaria semper sibi addictum experti sint, atque aevo illo jam potior Statuum et Ordinum Regni pars Evangelicam religionem cum reformatione doctrinae amplexa fuerit. — Tenores articuli praememorati isti sunt: *Si in tanta penuria Praelatorum et Baronum tales ibi esse non poterunt; nihilominus tamen in revidendis appellationibus omnino necessarium est, ut duo adminus Praelati, et totidem Barones si non titulares, tamen simplices, et Magnates,*

quod nunc statuunt, interesse debeant. — Igitur tam Episcopos, quam Barones titulares supremo appellationum Foro assidere jure posse hoc articulo decretum fuit. Porro efficacitas Legis hujus vel inde luculenta redditur, quod iisdem Comitiis pro Assessore Praelato ad Judicium appellationum penes Locumtenentem denominatus fuerit Episcopus Transilvaniensis, qui residentia Episcopali carens, et bonis pridem ad Fiscum Transilvanicum redactis spoliatus, titularis tantummodo Episcopus fuerat. Quapropter manifestum evadit, citatos illos 1608-i articulos, cum veteribus in collisione constitui, eosque tristissimis duntaxat temporum illorum in Hungaria adjunctis tribui debere, et merito extra usum positos esse.

c) *Per Praelatos intellige, non solum Dominos Archiepiscopos et Episcopos, sed etiam Abbates, atque Praepositos tam Seculares, quam Regulares omnes.* Part 2. tit. 49. Item articulus 1. 1608. post Coronat. Praepositos cum Capitulis inter Praelatos recenset, iisque in Comitiis regni *unam et conjunctam vocem tribuit.* Illud adhuc hoc loco memorandum est, quod ille idem articulus continuo sic subnectit: „Denique si qui Praepositorum et Abbatum infulatorum ac privilegiatorum essent, qui sua jura „possessionaria Praepositurarum et Abbatiarum „in regno habuerint, iisque potirentur, ii quo-

„que sub nomine Statuum et Ordinum compre-
„hensi vocem suam inter regnicolas habeant.“
Ex quo legitime deducitur: Praepositum Posoniensem, qui jura Praepositurae possessionaria a Capitulo distincta habet, iisque effective potitur, per Regales litteras ad Tabulam Statuum distinctim evocandum esse, votoque a Capitulo distincto gaudere. — Prior Auranae olim uti Ecclesiastica, simul et Secularis persona considerabatur, Praelatisque et Baronibus aequabatur, Part. 2. tit. 54. quare sub proprio etiam sigillo Procuratores constituit, quemadmodum alii Praelati et Comites perpetui, Part. 2. tit. 13. pluribusque aliis usus fuit praerogativis singularibus. Hodie Praepositi Zagrabienses Prioratum hunc e privilegio gubernant, atque inter Praelatos et Magnates Hungariae Sessionem et votum in Comitiis habent. art. 61. 1625. — Archiabbas S. Montis Pannoniae, prout art. 11 1681. primum sic nominatur, item Abbas Lucensis, et Praepositus S. Stephani de Promontorio Varadinensi, qua perpetuus per Regnum Hungariae Ordinis Praemonstratensis Vicarius generalis, Sessionem in Tabula Procerum obtinet.

§. 2.

Locum Praelati in Comitiis prae secularibus honoratiorem tenent.

Propter curam religionis et sacrorum, quam gerunt, honor hic datus est Praelatis, ut secu-

laribus praeponerentur, atque ob eandem causam seculares illis haud gravate cesserunt. a) Hinc est, quod in Comitiis regni, aliisque publicis Conventibus separatum Collegium haud efficiant; honoratiorem tamen in utraque Tabula locum occupent.

a) *Quamvis personae Spirituales, quarum medio salutem humanam Dominus et Salvator noster administrari voluit, personis Secularibus digniores habeantur, tamen omnes Domini Praelati et Ecclesiarum Rectores ac Barones et caeteri Magnates,* atque Nobiles, et „Proceres regni hujus Hungariae, et ratione nobilitatis et bonorum temporalium una, eademque libertatis, exemptionis et immunitatis praerogativa gaudent." P. 1. tit. 2.

§. 3.

Ordo Praelatorum inter se.

Clero Hungariae, in Comitiis regni Sessione et voto gaudenti, lege utpote Articulo 10. 1687. admissum fuit, ut Sessionem in Comitiis mutuo inter sese et competenter accommodent. Hodie usus et consvetudo ordinem sequentem induxit: Archiepiscopus Strigoniensis, qui idem Primas est regni, et Sedis Apostolicae Legatus natus a), Supremus ac Secretarius Cancellarius et unus e Judicibus regni ordinariis b), atque

ab anno 1715. S. R. I. Princeps c), primum inter Praelatos Hungariae, atque adeo ordinarie prae Palatino et Locumtenente Regio tenet locum in Comitiis d). — Proximi huic sunt Archiepiscopi Colocensis et Agriensis e). Dioecesani deinde Episcopi pro ratione temporis collati sibi Episcopatus consident f); quod idem etiam de titularibus est tenendum, nisi quod inter hos ad titulum suum consecrati de consvetudine aliis anteponantur. Sequuntur dein Abbates et Praepositi, qui inter Magnates sessione gaudent. Capitula Cathedralia et Collegiata in Tabula nobilium et Civitatum primum obtinent inter alios Status locum.

a) Archiepiscoporum Strigoniensium Primitialem dignitatem, caeteraque decora uno quasi obtutu exhibet articulus 15. 1536. *Cum,* inquit, *Rssimo Dno Archiepiscopo Strigoniensi, ex ejusdem Ecclesiae antiquis privilegiis, tanquam Summo et Secretario Cancellario jure competat, ut ipse juxta formam Generalis Decreti Regni, tanquam personalis Majestatis Regiae praesentia, unus ex judicibus regni ordinariis esse censeatur; tum igitur ex eo, tum etiam quod sit et Hungariae Primas;* constituitur his de causis, ut tam in Consilio, quam in Judicio congruum dignitati suae obtineat honorem et locum. — Primitialis honoris apud Strigonienses initia referunt quidam ad anti-

quissima tempora, uti Schmith in Archiepisc. Strigon. compendio datis pag. 38., Pray Hierarch. Hung. Tom. 1-o pag. 91.; verum constat, loquendi modos quospiam, in vetustis diplomatibus de antiquo Sedis Strigoniensis Primatu, et praeeminentia adhiberi solitos, ad metropoliticam duntaxat et primigeniam Sedis hujus praecellentiam pertinere; talis est etiam ista in diplomate Belae IV de anno 1239. per Prayum loco citato adducta loquendi forma: *Cum sancta,* inquit, *Strigoniensis Ecclesia locum Primatis in regno nostro tenere dignoscatur tam a beata sede Apostolica, quam a sancto primo Rege Stephano,* etc. etc. Usum enim hunc loquendi scribendive in hoc Belae IV documento de potestate Strigoniensium Primatiali explicari non posse, vel inde liquet, quod sub eodem Rege Bela anno Pontificatus Innocentii III decimo quarto, gravis inter Strigoniensem, et Colocensem Archiepiscopos de superioritate jurisdictionis emerserit controversia, eaque pactis mutuis composita fuerit, atque licet Pontifex compositionem hanc confirmare detrectaverit, ex illa tamen et rebus facti in ea recensitis liquido patet, aevo illo non aliam habuisse Strigoniensem prae Colocensi Archiepiscopo praecellentiam, quam quod ille Reges coronandi jus, decimam item aeris feriundi in toto Regno, et in ipsa Colocensi Dioecesi ac provincia habuerit, jus item Sacrorum, et Judicii Ecclesiastici

in Aulam Regiam, ac in Palatii officiales exercuerit; quorum tamen omnium nihil ad Primatialem potestatem attinet. Unde intelligitur, jus Primatiale Strigoniense adeo vetustum certo incontestateque agnitum illo aevo haud fuisse, neque has loquendi formulas aliud, quam Metropoliticam potestatem indicare, prout praecellentiam hanc veterem etiam Petrus Episcopus Veszprimiensis anno 1276. eodem ferme aevo, et eodem poene loquendi modo, de jure Metropolitano accepit: *Cum*, inquit, *honorabilis Ecclesia Strigoniensis nostra metropolis floruerit jugiter ab antiquo, gaudens in Hungariae partibus excellentia et praerogativa privilegii specialis.* — Primus igitur inter Archiepiscopos Strigonienses fuit Joannes de Kanisa, qui regnante Sigismundo a Sede Apostolica, nominatim a Bonifacio IX. Papa anno Pontificatus ejusdem quinto, Primatis et Legati nati dignitatem petiit ac impetravit; sed impetravit eam velut hactenus non habitam, et angustos intra limites coarctatam, utpote ad locum, civitatem nempe, Dioecesim et Provinciam Strigoniensem, personam et tempus restrictam; *Te*, inquit, *in Civitate, Dioecesi, et provincia Strigoniensi, Primatem et Legatum Sedis Apostolicae natum, quamdiu Te eidem Ecclesiae Strigoniensi duntaxat praesidere continget, constituimus, facimus ac etiam deputamus.* — Huic proinde Bullae aperta fronte adversatur illorum opinio,

qui Primatialem Sedis Strigoniensis potestatem in tota Hungaria ab aevo S. Stephani quasi perpetuam, Sedique adnexam repetunt. Verum paulo ampliorem, protensioremque huic dignitati adjunxit potestatem Nicolaus V. Bulla, qua anno 1452 Dionysio de Szécs ejusque *in Archiepiscopatu Strigoniensi Successoribus approbavit, confirmavit, contulitque jurisdictionem Primatiae et Legationis, in singulis regni et partium eidem subjectarum et subjiciendarum Metropolitanis, Cathedralibus, ac aliis licet exemtis Ecclesiis.* Illud in hac Bulla dignum animadversione occurrit, quod in illius expositione asseratur, Archiepiscopos Strigonienses in usu Primatialis jurisdictionis fuisse semper inde a temporibus S. Stephani Regis, quod tamen cum Bulla superius citata Bonifacii IX, et cum veritate factorum non potest conciliari. Quidquid de hoc sit, id certo constat, Archiepiscopos Strigonienses post Dionysium de Szécs omnes, regni Hungariae Primatus, et natae Legationis titulos gessisse; jurisdictio, si quam hoc nomine exercuerunt, ab usu et consvetudine recepta normam est consecuta.

b) Ex Articulo superius citato 15-o 1536. luculentum fit, Archiepiscopos Strigonienses, qua Summos et Secretarios Cancellarios, esse Judices regni ordinarios, id quod Decr. 6. Mathiae I. Regis Articulo 68. apprime conforme est. Jus

dignitati Summi ac Secretarii Cancellarii adnexum, plenaque et legalis ejusdem auctoritas Archiepiscopo Strigoniensi articulo 10-° 1741. adfirmata est per Mariam Theresiam, dum in vim legis hujus eidem duplex Sigillum Regium consignari decretum, atque sponsio legalis facta fuit, de Successoribus etiam Archiepiscopis Strigoniensibus et regni Primatibus in hac activitate sua conservandis. Id ipsum deinde Articulo 3. 1751. effectui dari jussum, legeque nova roboratum fuit. Illa quoque Archiepiscopi Strigonienses, qua Judices regni Ordinarii fruuntur praerogativa, quod ad Tabulam Regiam Judiciariam duos, qui judiciis intersint, nominare possint Assessores. 1557. art. 13. §. 3.

c) Vid. Art. 111. 1715.

d) Non obscura proëdriae hujus vestigia deprehenduntur in litteris Belae IV. ad Innocentium IV. Papam anno 1252. scriptis: *Cum*, inquit, *Strigoniensis Antistes sit primus inter Ecclesiasticos et Seculares Princeps, qui nobis consilio et auxilio in omnibus arduis et secretis regni nostri negotiis debet assistere* etc. Luculentius multo, post ducentos deinde annos, Nicolaus V. Papa 1452. hac de re disseruit: *Archiepiscopum*, inquit, *Strigoniensem, sicut post Regem praefatum primus existit, ita etiam in Parlamentis et quibusvis actibus egregiis post ipsum Regem primum locum, et pri-*

mam vocem obtinere debere, etc. Apud Peterfi Conc. Hung. P. 1. p. 71. Item Part. 2. Append. 3. ad Synod. Pazman p. 148. — Hanc loci praerogativam tentavit anno 1622 eripere Stanislaus Turzó Palatinus, jamque in eo res fuit, ut privilegium expediretur, verum edoctus meliora Ferdinandus II. impedivit expeditionem adfirmavitque Petro Pazmano veterem loci honorem. Eadem Append. 3. pag. 149. Praesidium nihilominus Primati nec in Comitiis, nec in Tabula Septemvirali, nec in Consilio Regio Locumtenentiali sed Palatino competit. Quodsi Palatinus, aut Locumtenens Princeps sit e regnante familia Regia, Primas huic etiam loco et ordine posterior est. Si vero et Palatinus et Primas e Regia stirpe sint, qui nexu sangvinis Regem propius contingit, alteri ordine praeit.

e) Agriensis ab anno 1804.

f) Jus Suffragii in Comitiis competit Episcopis ex eo, quod sint Status regni, fiunt autem Status non per Consecrationem, nec per Confirmationem papalem, sed per nominationem Regiam; unde in subscriptionibus Decretorum atque Diplomatum occurrunt persaepe *Episcopi Electi*. A Regia igitur vacantis Episcopatus Collatione, non a Consecratione vel Confirmatione computandum est senii tempus, ut constet, uter Episcopus alteri sit anteponendus.

§. 4.

Dissensus Praelatorum concluso Diaetali non obest.

Tentavit Status Praelatorum vice non una id evincere: dum de Religionis, aliaque caussa res agitur, se non consentientibus, nihil posse comitialiter concludi, et si quid decretum esset, eo se nullo modo teneri a) Verum hic eorum conatus eventu semper caruit. Nec mirum: ea enim a seculis fuerat Constitutionis Hungaricae indoles, ut quod Rex, consentiente majore Statuum et Ordinum parte, a se iisdem propositum, vel ab illis petitum, sanctione sua firmavit, non obstante minoritatis voto, vim legis nactum fuerit. Neque enim aliqui e Statibus, aut unus etiam Status, irritantis intercessionis aut prohibitionis jus habent, utpote nulla lege positiva id admittente. Vigent profecto hodiedum, plenaque auctoritate legitima pollent articuli legum de Beneficiis Ecclesiasticis non per alios, quam per Regem, aut qui a Rege jus Patronatus nacti sunt, conferendis; articuli item de poenis in Clericos delinquentes decernendis, demum de concesso alienam a Catholica religionem sequentibus libero religionis exercitio editi, licet hi Statu Praelatorum repugnante lati fuerint.

a) Conatuum istorum exempla continent Articuli, 31-us 1495. *Volentibus*, inquit, *Domi-*

minis Baronibus, Consiliariis Majestatis Regiae, et caeteris Regnicolis in praesenti Diaeta constitutis (repugnantibus tamen Dominis Praelatis et Viris Ecclesiasticis) ordinatum est: ut videlicet, qui ab alio quam Rege, vel cui is Patronatum contulerit, beneficium Ecclesiasticum obtinuerint, in profluentem abjiciantur. Similem renisum continet Praef. Decret. 7. Ulad. II. §. 4. *Domini Praelati ac Barones, et caeteri Regnicolae nostri, accepta mente nostra, cum diu multumque super his rebus deliberassent, tandem collatis sententiis et re conclusa, quosdam nobis articulos communi voto et consensu parili, (demptis articulis, facta criminalia et honestatem clericalem concernentibus, ad quos ipsi Domini Praelati consentire non potuerunt) formatos atque Compositos nostrae obtulerunt Majestati.* Quo tamen non obstante, lex 48-va iisdem Comitiis perlata fuit contra Seculares Presbyteros, qui Seditionis rusticanae duces, vel participes fuerant, per nobiles, et eorum famulos comprehendendos, et perpetuis carceribus mancipandos. Luculentiora rei istius exempla praebent articuli de Religionibus decernentes, utpote 5. 1647. et 26. 1791.

§. 5.

Jura et Officia Praelatorum communia.

Praelati Hungariae, sive illos consideres tan-

quam Statum regni, sive qua Cives patriae, iisdem, quibus caeteri Status, reguntur legibus, iisdem gaudent juribus, et immunitatibus, iisdem quoque tenentur officiis et obligationibus. Homagium Regi praestant non minus, quam reliqui Status, subjectionemque illi et obedientiam debent parem caeteris patriae civibus a). Beneficia, et quae his attributa sunt bona, ac jura terrestralia Regis Collatione adipiscuntur b), quem etiam decedentes in his suo modo Successorem habent c). Bona nihilominus beneficiis adhaerentia, cum eorum proprietas pertineat ad Ecclesias, quae nunquam moriuntur, nunquam notam incurrunt, neque in fiscum redigi aut sequestrari, neque alienari possunt, quare si beneficiati Ecclesiastici infidelitatis, vel laesae Majestatis rei agantur, bona avita, et acquisita, si quae possident, amittunt, sed beneficiorum Ecclesiasticorum reditus duntaxat fisco cedunt d). Ratione bonorum temporalium, sive illa propria sint, sive beneficialia, coram seculari competente judice conveniuntur e) Patriae defendendae causa cum caeteris nobilibus insurgunt f). Contra Statuta et decreta regni se opponentes beneficiis privantur g). Verbo: quod Statuum regni jura et libertates, oneraque publica concernit, Praelatos inter, et reliquos regni nobiles, uti vocant, possessionatos vix ullum est discrimen.

a) *Cum collatio beneficiorum Ecclesiasticorum, simul cum bonis et juribus possessionariis, ad Ecclesias Dei pertinentibus, ad Principem et Regem nostrum spectare, dignoscatur; ideo omnes viri Ecclesiastici cujuscunque ordinis, gradus, ac dignitatis existant, qui in hoc regno Hungariae castra, castella, fortalitia, civitates, oppida, villas, possessiones, et praedia, vel etiam alia quaecunque jura possessionaria gubernant et possident, non obstante dignitatis et exemtionis eorum praerogativa, Regi et Principi hujus incliti Hungariae Regni legitime coronato, instar personarum Secularium ejusdem regni, ad homagium fidelitatis praestandum semper obligantur.* Part. I. tit. 12. Quapropter, dum mos viguit, uti in coronatione, sicut Reges ad observandas leges, et immunitates, ita etiam Status Regni ad fidelitatem et obedientiam Regi praestandam juramento semet obstringerent, illa occasione Praelati quoque juramentum hoc exhibuerunt. Art. 2. 1453.

b) *Omnes Domini Praelati etc. universa eorum jura possessionaria ex donationibus Serenissimorum Dominorum Hungariae Regum habent, atque possident.* Part. 1. tit. 13.

c) *Cunctorum quoque Dominorum Praelatorum et virorum Ecclesiasticorum Princeps ipse noster verus pariter et legitimus Successor est; non quantum ad bonorum et jurium possessionariorum ab Ecclesia ablationem et se-*

questrationem; sed quantum alteri (vacantibus Praelaturarum Sedibus, et Ecclesiarum rectoratibus) ad gubernandam cum Ecclesia collationem. Part. I. tit. 10. §. 3. Unde articulo 8-vo 1458. statutum fuit: *nec homo secularis, sive vir Ecclesiasticus dignitates Ecclesiasticas occupative servare possit.* Igitur Rex quoque Apostolicus, dum decedentium Praelatorum bona, durante vacantia, per suos Officiales tenet, non *occupative* sed *administrative* duntaxat tenet, ut ea aliis a se nominandis conferat, tradatque. Morem autem hunc, quo Reges Hungariae mortuorum Episcoporum bona, ac ex iis reditus per suos procurari jubent, quive in aliis regnis *jus regaliae* vocatur, vetustissimum in Regno hoc esse, patet e Rescripto Privilegii Belae III. Regis Hungariae, quod Cel. Kollarius in Hist. diplom. Juris Patronatus Regum Hungariae Cap. 13. pag. 120. ex Conteloro edidit. In hoc Bela Rex morem hunc *Antecessorum suorum consvetudinem retro temporibus habitam* compellat, neque ibidem rei ipsi, jurique et ejus usui renunciat, sed abusus duntaxat, qui irrepserant, corrigendos spondet: *In nobis et in nostris posteris immobili firmitate sancimus, quod decedentibus Episcopis, in rebus Episcopalibus procuratores laicos de caetero non ponemus, sed honestos Clericos, qui non ad voluptatem, sed ad necessitatem victus de ipsarum Ecclesiarum rebus moderate acci-*

piant, , ibidem instituemus; qui reliqua omnia bona fide et sine fraude aliqua ad reaedificationem ipsarum Ecclesiarum et domorum Episcopalium, seu Canonicorum, ad usus quoque pauperum, viduarum, et orphanorum fideliter debeant adservare. Nos vero, vel posteri nostri nihil unquam de iisdem rebus in usus proprios ulterius redigemus, nisi forte (quod absit) hostes regni in manu valida fines ipsius regni intraverint, vel aliqua urgentissima necessitas postulaverit, et tunc quoque id sine Episcoporum consilio non faciemus. Multa in hoc privilegio conformia sunt Conventioni Kolonicsiánae, eadem de causa, eodemque fine aevo tardiori iniri tentatae. Postea quoque, post tempora scilicet Belae III. Reges Hungariae vacantium Episcopatuum reditus partim per viros Ecclesiasticos, partim per Seculares administrari curarunt, quorum nomina, aevumque diplomata et monumenta litteralia hodiedum conservant. Multo luculentius in hanc rem documentum praebet decretum Comitiale anni 1298 sub Andrea 3-o, Veneto dicto, quod apud Kovachich in supplemento ad vestigia Comitiorum Tomo 2 pag. 123 sic habet: Articulus XXVII „*Bona etiam decedentis Episcopi Dominus Rex, vel quaelibet alia persona occupare vel rapere non possit, sed utilitati Ecclesiae, cujus idem Praelatus fuisse dinoscitur, si intestatus decedit, applicentur.* Articulus XXVIII. *Si vero com-*

pos mentis suae de his disposuerit, secundum permissionem juris, eis disponi debent, quibus fuerint appromissa, id est testamento legata.

Ex hoc Decreto manifeste eruitur, Episcopos Hungariae sub Regibus Arpadianae stirpis testandi legitima activitate gavisos fuisse; igitur successive sequutis duntaxat temporibus enatum esse praejudicium illud, quasi Praelati Hungariae sine indultu et concessione Regia testamenta condere nequeant.

Praejudicata haec opinio duravit, et virtute illius homines fisci regii tanquam jure, et potestate instructi, relictas a fatis Praelatorum opes, atque peculia ita dirripuerunt, ut nec pro condecente corporis exanimis tumulatione impensas reliquas fecerint. Casus hujus generis tristissimus, attestante factum hoc Carolo Péterfi, et Joanne Kazi, ac ex illis Stephano Katona Hist. Crit. Tom. 21-o pag. 130. accidit in Praepositura Posoniensi, dum anno 1625-o decedens Thomas Balasfi Episcopus Quinque-ecclesiensis, et Praepositus Posoniensis ob hanc Fisci aviditatem compluribus diebus defectu expensarum insepultus jacere debuit, et nonnisi erga recursum Capituli Collecta inter Canonicos Strigonienses facta, corpus tam praeclari viri decente sepultura terrae mandari potuit. Ad hanc Fisci sui intemperantem Bonis Praelatorum inhiandi aviditatem coercendam, Ferdi-

nandus II-us Imperator et Rex Hungariae anno eodem 1625-o die 11-a Decembris Decretum edidit, quo testandi facultas quibusdam cum conditionibus Praelatis postliminio restituitur, atque in fine clausula haec adjicitur: „*Speramus tamen eos, utpote Praelatos testantes, confiniorum, quae communis Patriae, adeoque totius christianitatis propugnacula sunt, ut piissimae caussae in testamentis memores futuros.*" Clausulam hanc, tanta cum moderatione Decreto adjectam, sequuto deinde tempore Leopoldus I. Rex in confirmatione Conventionis Koloniesianae in obligationem respectu testamenti Praelatorum commutavit. Postea autem lex Regni, utpote art. 16-us 1715-i Praelatos Hungariae, si in condendis testamentis Conventioni Kolonicsianae, relictas Episcoporum et Praelatorum substantias trifariam dividi mandantis, quam Episcopi teste eodem articulo 16-o recognoscere et acceptare nolebant, semet accommodare non voluerint, eosdem ad impetrandam a regia Majestate testandi facultatem remisit, qua occasione Eadem Regia Majestas quantitatem summae ad confinia ex obligatione solvendae pro jure sibi competente determinatura est. — Tempus quo reditus vacantium Episcopatuum ad rationem aerarii Regii administrantur, percipiunturque, Conventio Kolonicsiana ad tres menses restrinxit; sed cum teste articulo 16-o 1715-ti Clerus Hungariae Conventioni huic con-

sentire abnueret, tempus istud durare permissum est, usque dum Regiae Majestati, e consideratione necessitatis vel utilitatis Ecclesiae, Episcopum ad Sedem vacuam nominare visum fuit.

d) *In quibus casibus* (utpote laesae Majestatis, notae infidelitatis, et homicidii, vel latrocinii) *licet bona Ecclesiarum, quibus praesunt, non amittant; tamen privata ac separata patrimonia, et jura possessionaria, si quae habent, insuper cuncta Beneficia ecclesiastica, quae possident, perdere et amittere solent.* Part. 2. tit. 44. Alienari, aut pignori locari non posse bona Ecclesiastica, et si id attententur, pacta hujusmodi irrita esse statuit art. 31. 1567. Prohibitionem etiam, ne bona secularia ad manus mortuas Cleri deveniant, continere videntur leges, utpote 55. 1498. 17. 1647. cum modificatione nihilominus, quam articulus 16. 1715. adhibuit, intelligendam.

e) *Ratione hujusmodi bonorum temporalium, quae possident, quorumlibet etiam actuum potentiariorum, ac aliorum negotiorum inde emergentium, in praesentiam quorumlibet judicum regni ordinariorum, ab eorum adversariis in causam libere conveniri et attrahi possunt; coram quibus more aliorum secularium respondere, jurique stare tenentur.* Part. 1. tit. 12. §. 1.

f) Decret. Albert. 1439. art. 19. Mathiae I. Decr. 3. art. 24. Uladisl. Decret. III. 15. 20. 1552. 3. 1741. 63. 1808. 2.

g) Uladisl. Decret. VI. 8. Tripart. Part. 2. tit. 51.

§. 6.

Propria.

Habent tamen Praelati, qua sunt Praesides et Ministri Ecclesiarum, privilegia, quaedam singularia, tam in, quam extra judicium; muniaque obeunt ordinis sui propria, quae in hac historica expositione locum non habent.

Fragmentum II.

De educatione et institutione Juventutis in Hungaria.

§. 1.

Necessitas educationis publicae.

Si verum est, quod a summis viris saepe ac diligenter inculcatum fuit: praecipuum ac firmissimum civilis beatitatis fundamentum in recta juventutis educatione situm esse; si nec privatim quisque, nec ipsa respublica sine virtute, et quae virtutis omnis, et obedientiae optima magistra est, vera religione felix esse; nec sine artium litterarumque cultura florere potest: illud profecto consequitur, ut nisi in qua harum praecipue rerum cura vigeat, beata esse civitas nulla possit.

§. 2.

Jura civilis societatis, circa hoc objectum.

Intelligitur hinc non modo, quanti in republica momenti sit recta juventutis educatio et institutio; verum etiam quanta, et quam sollicita cura utramque complecti oporteat eos, qui in civili societate jura Majestatis supremae exercent. Si enim, qui jus habet ad finem, illi etiam ad media fini obtinendo necessaria aut opportuna jus sit, necesse est: consequitur, eorum potestati cuncta hunc in finem comparata cujusvis generis instituta publica subjici debere, nec alteri cuiquam jus competere scholas publicas, Gymnasia, Academias, Universitates erigendi, nisi impetrata in id ab illis, qui jura Majestatis exequuntur venia. Eorum est praeterea rationem educationis publicae, et studiorum describere; viros idoneos educandae et erudiendae juventuti praeponere; hi, an munere sibi credito rite defungantur, invigilare; et si qua in re peccatum est, aptum tempestive remedium adhibere. Ista etiam de institutione litteraria, et informatione morali Cleri junioris tam secularis quam regularis suo modo intelligenda sunt.

§. 3.

Quoad Hungariam circa idem objectum.

Regum Hungariae, quod quidem istam publicae administrationis partem attinet, semper prima et praecipua fuerunt jura et officia. Jura enim Majestatis Reges Hungariae, in sua integritate sibi delata a), plene exequuntur pro suprema potestate, eo cum temperamento, ut consensum statuum adhibeant illis in rebus, quas lex velut ad communem legislationem pertinentes designat. At enim eximia Regum Hungariae in Institutis educationis et institutionis publicae fundandis, dotandis, et ad finem civitatis promovendis ac adjuvandis sollicitudo, atque prompta liberalitas sic semper enituit, ac per regnicolas grato animo agnita fuit, ut partem hanc publicae curae, ac munii Majestatici libenter ac pronis animis Regum providentiae ac beneficencentiae reliquerint. Qua de causa exstant leges, quae supremam publicae educationis institutionisque Inspectionem praeferenter Regi asserunt. b) Nihil porro adversus jus hoc, Regiae Majestati assertum, faciunt articuli quidam legum, nominatim 70. 1723. et 15. 1791. quibus Rex opinionem et consilia Statuum regni de educationis et institutionis publicae modo ac ordine audire cupiebat; utpote, cum in aliis quoque rebus, dubio procul ad suam solummodo potestatem spectantibus, Reges nostri cum Statibus

consultare soliti, modum quoque jura sua regia in publicum emolumentum opportunius exercendi a Statibus, quorum id quam maxime refert, intelligere voluerint; salva nihilominus sua in his objectis disponendi potestate c). Demum: Reges Hungariae jure Majestatis circa educationem et institutionem juventutis publicam, inde a primordiis Monarchiae ad nostra usque tempora, usi sunt in felicitatem patriae hujus tanta sollicitudine, et tam liberali manu, ut omnis ferme in litteris, artibusque et scientiis cultura, ab eorum largitate potissimum profecta sit d).

a) *Posteaquam ad fidem catholicam Hungari sunt conversi, et Regem sponte sibi ipsis elegerunt; tam condendae legis, quam etiam cujuslibet possessionariae collationis, atque omnis judiciariae potestatis facultas in jurisdictionem sacrae regni hujus Coronae, qua cuncti Reges Hungariae coronari solent, et subsequenter in Principem, et Regem nostrum legitime constitutum, simul cum Imperio et Regimine translata est. Et sic postea Reges ipsi, convocato, interrogatoque populo, constitutiones facere caeperunt; prout et temporibus nostris fieri consvevit.* P. 2. tit. 3.

b) Art. 74. 1715. *Seminariorum, Convictuum, et Collegiorum pro juventute Ecclesiastica aut seculari per quoscunque, sive intra, sive*

extra regnum fundatorum, dum et quando necesse videbitur; inspectionem, et cum exactione rationum, utrum fundationi satisfiat, investigationem Sacra Regia Majetas sibi soli pro Apostolico munere et suprema auctoritate sua reservat. Quamquam aliqui legem hanc ita interpretari malint, quod Rex Hungariae obligetur *pias fundationes* pro supremo Patronatus jure curare; cum nihilominus jus tuendi et protegendi pias fundationes, ex eodem juris Majestatici fonte promanet, ex quo scaturit etiam jus educationi, informationique publicae, et institutis omnibus ad illam pertinentibus prospiciendi, atque cuncta haec ad finem civitatis dirigendi; huic divergenti et duo haec jura sejungenti intellectui isthic locum non esse, vel ex eo perspectum fit, quod legem hanc accuratius expendenti patere possit, duo in ea Regis Officia ad eundem nihilominus finem directa, proponi; primum est: educationis publicae, et cunctorum ad eam promovendam constitutorum caetuum, et domiciliorum exacta inspectio; alterum: Fundationum, si quae in hunc finem dicatae sunt, velut etiam ad pium finem tendentium, investigatio cum exactione rationum, et adcuratione, ut fini fundationum satisfiat. Quemadmodum vero alterum, sic et primum hac lege soli Regi tribuitur. Porro etiam Articulo 43. 1741. curam educationis publicae et juventutis rectê erudiendae ad munus

suum Regium pertinere adfirmat benignissima mater Maria Theresia. Prius autem, quam hae leges latae fuissent, jam Ferdinando I in conformitate praevie deductorum plena per leges regni potestas facta fuit, *bona et proventus Ecclesiarum, et Capitulorum, Conventuumque desertorum ad erectionem scholarum, doctorumque virorum sustentationem ubique convertendi, et tergiversantes auctoritate sua regia compellendi.* Art. 12. 1548. item 19. 1550. Idem Rex Ferdinandus I. a Statibus regni art. 7. 1548. oratur, ut iis, qui in Gymnasiis studiis operam dant, de intertentione providere velit. Reipsa autem sub hoc Rege Viennae Bursam sub nomine Agni pro Hungaris studentibus fuisse constitutam patet e Cursu vitae Benedicti de Karakó-Zerchek a se ipso descripto, inter Kovachich Scriptores minores Tomo I. pag. 154.

c) Auctor libelli: *de regiae potestatis in Hungaria limitibus*, non indicato impressionis loco anno 1791. in lucem editi, non abjudicat quidem Regi supremam in educatione publica inspectionem; contendit tamen educationem ipsam, ejusque rationem objectum esse legislativae potestatis, et deliberationi etiam Statuum obnoxium; in quam rem Articulum 70. 1723. producit, cujus verba haec sunt: *Ut in Academiis non tantum philosophicum, theologicum, et juridicum etiam studium exactius separatim, et statutis horis pure pro earundem scientiarum*

auditoribus, sed et alia quaevis in exteris Universitatibus publice doceri consveta, et statui quoque publico, et militari deservientia studia tractentur, et per idoneos Professores tradantur; ubi Status et Ordines modum, formam, et media, quibus id commode fieri possit, Suae Majestati Sacratissimae demisse submiserint, pro regia benignitate sua huic quoque demisso Statuum petito clementer annuet. Ex his articuli tenoribus non aliud elici potest, quam Regiae Majestati Carolo III. a Statibus regni propositam fuisse petitionem sequentem: ut in Academiis Hungariae, praeter philosophiam, theologiam, et jura, tradantur juventuti etiam aliae scientiae, statui publico, et praesertim militari utiles, quales in exteris Universitatibus doceri solebant; cui Statuum petitioni Regia Majestas clementer annuit, eo adjecto, ut Status ipsi modum, formam, et media proponant, quibus istud commode effici possit. Proinde ex Articulo hoc solummodo preces et demissa petitio Statuum et Ordinum Regni, quoad scientias quasdam Regno utiles ad scholas Hungariae invehendas, et ibidem docendas suppliciter substratae demonstrantur, evenitque ex ejus tenoribus Suam Majestatem precibus his benigne annuisse, eo adjecto, ut Status et Ordines demissam consultativam opinionem suam super eo: quonam modo, et quali sub forma petita haec cum emolumento Regni in effectum deduci possint, moda-

litate competenti Suae Majestati exhibeant. Porro articulus 15. 1791. ista habet: *Cum salus reipublicae ab educatione juventutis plurimum dependeat, hinc annuente Sua Majestate Regia, Status et Ordines decreverunt, ut Deputatio regnicolaris systema generalium principiorum nationalis educationis, et libertatis preli elaboratura, ac tandem opus tale Comitiis regni, post revisionem et approbationem in leges regni referendum praesentatura, salvis juribus regiis, denominetur.* Ante omnia: Articulo huic adjecta clausula: *Salvis juribus regiis,* salva reddit omnia jura, quae Regi Hungariae ante conditum istum articulum hac in re competebant. Deinde; hac quoque lege nihil aliud per Majestatem Regiam conceditur, quam ut Deputatio regnicolaris de generalibus educationis publicae principiis consultet, opinionem suam Rege annuente futuris Comitiis proponat, et si illa per Eundem probata, ratihabitaque fuerit, vim legis obtineat. Profecto ejusdem anni Articulo 67. Deputationes regnicolares de illis quoque objectis ordinantur, quae ad jus Regium in regula pertinent, fiuntque haec omnia consultandi et opiniones Statuum excipiendi gratia, atque uti §. 9. dicitur: *salvis porro quoque privativis Juribus Regiis.*

d) Primis litteraturae sacrae et profanae elementis imbuebantur Hungari, post ipsorum ad religionem Christi conversionem, in Capitulis,

Conventibus et Monasteriis; Biographus S. Gerardi a Vionio editus, nominatim commemorat Capitula et Monasteria, ac Magistros, qui hancce conversorum sobolem scientiis erudiendi provinciam regnante S. Stephano susceperunt. Unde in Capitulis vigens hodiedum Canonicorum Scholasticorum, et Canonicorum Magistrorum nomenclatio. Inter scholas primi hujus aevi celebriores erant. Albensis, Strigoniensis, Quinque-Ecclesiensis, et Csanadiensis. Fuerunt autem Capitula ac Monasteria ista omnia a sancto Protorege fundata. — Postquam deinde ita dictae studiorum Universitates in exteris Regnis erectae fuissent, multi e juventute Hungara in Universitate Parisina et Bonnoniensi, stipendio Regis, vel privatorum adjuti scientiis operam navabant, qui dein ad primas in Regno dignitates evecti, ipsi litteras provehebant. Primus fuit Ludovicus Rex, qui anno 1367. Academiam et studium generale Quinque-Ecclesiis, excepta facultate theologica, quam Pontifices diserte exceperunt, fundavit, quod usque cladem ad Mohács perduravit.

Alterum pro studiis in Hungaria domicilium post fata Ludovici I. erexit Sigismundus Rex Budae, quae Academia vel schola Sunda vocabatur, videlicet per contractionem literarum ex Academia Sigismundea. Historia Concilii Constantiensis manifesta scholae hujus vestigia exhibet, utpote in qua refertur, quod in Concilio Constantiensi una cum Archiepiscopo Stri-

goniensi Joanne de Kanisa praesentes fuerint ex Academia Sunda Lambertus Praepositus Budensis, Doctor Juris Ecclesiastici, et alter Praepositus Budensis Henricus Doctor in Theologia, item Simon Clostein Doctor et Magister in Medicina. Vide Valaszki in Conspectu reipublicae litterariae in Hungaria pag. 111.

Illud etiam in re litteraria Hungarica singulari observatione dignum est, quod Ladislaus Rex, communiter Chunus cognominatus, diplomate, anno 1270. solenniter edito, testatum fecit, Veszprimiensi nempe in civitate inde a primordiis vigentis in Hungaria religionis christianae, studia litterarum floruisse, scholasque ibidem viguisse, in quibus instar Parisinae Scientiarum Academiae, Doctorum praeeminentia, et discentium frequentia celebratis, scientiae sacrae et profanae cum summo regni emolumento, et insigni gloria gentis tradebantur. Scholae hae procul omni dubio Sanctorum Regum nostrorum, ac Serenissimarum Reginarum, ad quas Veszprimium, ut civitas reginalis peculiari jure pertinebat, beneficentiae, et Episcoporum atque Capituli erga scientias ardori in acceptis referendae fuerunt. Praememoratus Ladislaus Rex diplomate prius provocato confert scholae huic, ne cum desolatione Civitatis ipsa quoque ad interitum vergat, tributum Fok in Comitatu Simeghiensi. Exstat diploma apud Katona in

Praefatione ad Tomum 8. Hist. criticae, item apud Fejér Diplom. Hung. Tom. 5. Vol. II. pag. 347. — Mathias I. Corvinus aeque studium constituit Budae apud Dominicanos ad S. Nicolaum, et accitos e variis regnis viros doctos, scientiarum Professores, datis largis stipendiis ex aerario suo aluit. Paulo autem ante obitum suum ingentem molitus est ad Budam, pro recipiendis Magistris et discipulis aedem, cujus destinationem cum Ichnographia exhibet Caspar Heltai in suo Chronico Hungarico.

Caeterum idem Mathias Rex, cum in Hungaria veri nominis Academia, seu studium generale etiam theologica facultate instructum et auctum necdum fuerit, anno 1467. expositis ejus temporis summo Pontifici Paulo II. rationibus, praesertim autem illa, quod fideles sui subditi, propter defectum scholae theologicae alias peregrinas regiones adire cogantur, *non enim in regno hoc vigere aliquomodo studium generale*, ab eodem Pontifice impetravit, ut in quacunque civitate Hungariae *cum quibuscunque facultatibus etiam cum Cancellario, ac salarii deputatione*, instar Studii Bononiensis erigi Studium generale valeat. Mathias Rex pro sede Academiae hujus Posoniensem Civitatem delegit, et eodem anno mense Junio Academiam Istropolitanam vocitatam in domo, in qua nunc est Conventus Benedictinorum, et quam antea Je-

suitae incolebant, inauguravit, Cancellario eidem Joanne Vitéz Archiepiscopo Strigoniensi constituto, cujus vices interea obiret Georgius Schomberg Praepositus Posoniensis.—Academiae hujus Istropolitanae fundatorem plerique auctorum, uti Péterfi in Concil. Hung. Tom. I. Nicolaus Schmidt in Archiepiscopis Strigoniensibus compendio datis, Xistus Schier in Exercitatione de Academia Istropolitana, atque hos secuti Georgius Pray, et Stephanus Katona non Mathiam Corvinum Regem, sed Joannem Vitéz Archiepiscopum Strigoniensem statuerunt; at enim gloriam hanc Mathiae Corvino jure merito debitam asseruit, vindicavitque in superius citato Conspectu reipublicae litterariae doctissimus Paulus Valaszki pag. 109, adduxitque Bullam Pauli IIdi ad Praepositum Schomberg, et Capitulum Posoniense, in qua largitur Praeposito jus mitrae, pedi, et annuli de anno 1469, idibus Augusti, in qua haec ad quaestionem praesentem de fundatore Academiae praefatae dicuntur: „*Paulus Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Praeposito, et Capitulo Ecclesiae S. Martini Histropolitani, Strigoniensis Dioecesis salutem.* Notandum est hoc loco: Posonium etiam a Mathia I. Rege in plerisque Diplomatibus ibidem datis, Istropolitanam civitatem compellatam fuisse. In eadem Bulla porro Pontifex ita loquitur: *Hinc est quod nos consideratione charissimi in Christo filii nostri Mathiae Regis Hunga-*

riae illustris, assertentis, quod Oppido Histropolitano, propter studium generale ibidem nuper erectum, et vestrae Ecclesiae plurimum afficitur. Verum enimvero Mathiam ipsum Corvinum Regem Academiae Istropolitanae auctorem, statoremque fuisse longe luculentius comprobat Historia litis, et controversiae, quae anno 1550. inter Franciscum Ujlaki Episcopum Jaurinensem et Praepositum Posoniensem, ac inter Simonem Cayrus de Salucze Civem Posoniensem vertebatur de area muro circumdata, quae olim ad Academiam hanc spectabat, parte utraque jus in eam praetendente. Ex parte Praepositi Advocatus causae Valentinus Jeccelius Viennensis sequentem fecit coram Magistratu Posoniensi, qui judicis partes obibat, deductionem: *Mathias Hungariae Rex bono et devoto spiritu donatus, ad laudem et honorem divinae Majestatis, sui regni decorem, atque illuminationem, in hac ipsa civitate Posoniensi, pro studentibus, bonas et sacras litteras addiscere volentibus, universale studium, quod vulgo Academiam appellant; erexit; et pro residentia tam Doctorum, quam suppositorum* seu discentium *habitationibus, quamdam amplam domum et Curiam, plures habitationes in se habentem, in hac Civitate Posoniensi juxta domum praefatae Praepositurae Ecclesiae Posoniensis in orientali plaga situatam, quam et muro opere egregio constructo, usque ad coemeterium ejus-*

dem Ecclesiae Posoniensis versus meridiem ampliari fecit, cui quidem studio universali Reverendum Dominum Georgium de Schomberg, illius temporis in dicta Ecclesia Posoniensi Praepositum, in vice Cancellarium praefecit, ejusque successores Praepositos pro tempore existentes, successive Cancellarios fieri voluit. Atque in eodem studio seu Academia vita ipsius Domini Mathiae Regis durante, plures Baccalaurei creati exstiterunt. Ipso autem Domino Mathiae Rege vita functo, post ipsius obitum hostilitate ingruente, propter disturbia ingrassata, Doctorum; et suppositorum seu studentium frequentia pedetentim defecit. Documentum hoc ex Archivo Civitatis Posoniensis sumptum, quaestionem tam de fundatore Academiae Istropolitanae, quam etiam de aedium ejusdem situ, et reliquis adjunctis plene dirimit, et aperta in luce collocat. Quae omnia Hungariae omnis aevi Regum profusam in rem educationis et institutionis publicae liberalitatem liquidô declarant. Quis demum nostrum est animo tam ingrato, ut non meminerit, quid Hungaria hoc in genere debeat suis Regibus, illis cumprimis e Stirpe Austriaca? Cogitate vel unam immortalis memoriae Mariam Theresiam, quae, ut alia bene multa omittam, Universitatem Tyrnaviensem, jam a Ferdinando II. *e Regiae potestatis plenitudine* confirmatam, paene ex integro reformavit, privilegiis auxit, Budam transtulit, ac in-

signiter dotavit, idque pro suprema sua potestate, uti testantur documenta hoc fine edita, quae in omnium manibus versantur.

§. 4.

Respectu Evangelicorum.

Quod Evangelicos utriusque Confessionis in Hungaria attinet, statutum est novissime a) Scholas quoque tam triviales, quam grammaticas, non solum quas habent, retinere, sed et novas, ubicunque iis necesse visum fuerit, prout et *altiores, accedente tamen praevie quoad hasce assensu regio* erigere; Ludimagistros, Professores, Rectores, Subrectores vocare et dimittere; numerum eorum augere vel minuere; nec non Directores seu Curatores quarumvis Scholarum tam locales, quam Superiores e suae Confessionis hominibus eligere; rationem, normam, et ordinem docendi, et discendi, *Salva altefatae suae Majestatis quoad scholas, etiam hasce regiae supremae inspectionis, uti praemissum est, via legalium regni dicasteriorum exercendae, potestate, ordinare futuris semper temporibus liceat Evangelicis utriusque Confessionis* b); *Coordinatione tamen litterariae institutionis, erga demissam Statuum et Ordinum propositionem per suam Majestatem determinanda, ad has perinde Scholas, huc ta-*

men haud intellectis religionis objectis, extendenda c). Administratio quoque fundationum hujus generis libera illis addicta est: *Superinspectione Regia, ut hae fundationes ad mentem fundatorum administrentur ac dispensentur, ad easdem quoque extensa* d).

a) In Comitiis anni 1791. art. 26. §. 5.

b) Etiam quoad Scholas Evangelicorum reservat sibi Rex potestatem Supremae Inspectionis, via legalium regni dicasteriorum exercendam, quemadmodum eadem Inspectio illi quoad Scholas Catholicorum competit, quod jus Regium loco hoc velut incontestatum, ac indubie Majestatem concernens supponitur. Non enim minus interest reipublicae, nosse, qui et quales sint Professores, Rectores, Curatores Scholarum Evangelicarum, quid in illis, et quomodo doceatur; quam qui doceant, et quomodo doceant juventutem Catholicam.

c) Rosenmann citati articuli verba: *erga demissam Statuum et Ordinum propositionem*, sic est germanice, in versione Juris publici suo nomine editi, interpretatus: *Dessen Bestimmung die Reichsstände Seiner Majestät in einer unterthänigsten Bitte übertragen haben.* Haec interpretatio non est exacta, neque genuino citati articuli textui, nec indoli juris, quoad coordinandam educationem publicam congruit.

Fragmentum III.

De Parochorum Catholicorum nobilitari praerogativa, deque eorundem suffragiis in Sedibus Comitatuum in Hungaria restauratoriis.

1. **Dum nobilitatis universae fundamentales praerogativae, harumque respectu cunctorum aequalitas explicatur, et quinam nobilium nomine veniant, recensetur, Part. 1. tit. 2. ista dicuntur:** *Omnes Domini Praelati, et Ecclesiarum Rectores, ac Barones, et caeteri Magnates, atque nobiles, et Proceres regni hujus Hungariae, et ratione nobilitatis, et bonorum temporalium, una eademque libertatis, exemtionis, et immunitatis praerogativa gaudent; nec habet Dominorum aliquis plus, nec nobilis quispiam minus de libertate; hinc una eadem-*

que lege, et consvetudine, ac uno et eodem juridico processu in judiciis utuntur, homagiorum duntaxat quantitas variatur. Hoc loco nomine Rectorum Ecclesiarum etiam Plebanos Ecclesiarum, seu Parochos intelligi inde constat, quod Parochi veri nominis Rectores sint suarum Ecclesiarum, et quemadmodum Episcopi juxta S. Stephani Decr. Lib. 2. Cap. 2. ita etiam Parochi intra limites suos *habeant potestatem res Ecclesiasticas providere, regere et gubernare, atque dispensare secundum auctoritatem Canonum;* tum etiam, quod leges temporibus illis, quibus Verbőczius Tripartitum jus sub Uladislao II-o concinnavit, coaevae, Parochos seu Plebanos appellent passim Rectores Ecclesiarum, cujus rei manifestum habemus articulo 12-o Uladislai Decr. V. anno 1504. argumentum, in quo dum cavetur, ne *Plebani Ecclesiarum* frequentatis charitativi subsidii exactionibus premantur, iidem diserte *Rectores* appellantur *Ecclesiarum.* Idem usus loquendi obtinuit in subsequis legibus sub tempora Ludovici II. et Ferdinandi I. Regum, uti signanter art. 11. anni 1557. — Confirmatur istud uberius etiam per id, quod diplomata Regia et judicia summorum tribunalium, quae aevo compilatoris Tripartiti Stephani Verbőczi emanarunt, Parochos communi vocabulo appellent ubique *Rectores Ecclesiarum*, atque pro talibus habeant. Sufficiat pro omnibus diploma unicum Ludo-

vici II-di Regis dd-to Budae 30-mo die festi S. Jacobi Apostoli anno Domini 1516, cujus materia haec est: Dum inter Capitulum Veszprimiense, et Plebanos in Comitatibus Zaladiensi et Simeghiensi diuturna lis ferbuisset, de quartis decimarum in praenominatis Comitatibus, easque totales et integras quartas Parochi sibi vendicarent, Capitulum autem medietatem duntaxat quartarum Parochis competere, alteram autem medietatem sibi jure deberi asseverarent; Causa haec magnis conatibus agitata, ad judicium supremum Regis Mathiae I. delata fuit, qui accepta plena de causa hac a Petro de Várda Archiepiscopo Colocensi et Summo Cancellario informatione, pro Tribunali cum Praelatis, Baronibus, et Regiis Assessoribus, ac Protonotariis considens anno 1482-o sententiam pro Capitulo Veszprimiensi, motivo Diplomatis Belae IV-ti et inquisitionum, sub Regibus Ludovico I-o et Sigismundo super usu praehabito peractarum, pronunciavit; Parochis autem silentium super hac re perpetuum sub poena mille florenorum auri imposuit. Parochis per sententionales has ab actoratu amotis, Domini et nobiles Comitatuum praedictorum, tanquam Patroni Ecclesiarum et Parochorum, litem hanc sub Uladislao II-o resuscitarunt, et ad instantem eorum petitionem in Comitiis anni 1504-ti articulo 13-o statutum fuit, ut Causa denuo revideatur et decidatur. Post mortem Patris Ludovi-

dus II-us litem reassumsit, et in judicio Regio ita, quemadmodum Mathias Corvinus, decidit. In prolixo hoc Diplomate, quod omnia ferme Causae praedictae documenta, utpote Decretum Belae IV-ti sententionales Mathiae I-mi, et Ludovici II-di Regum, Bullas item Pontificum complectitur; plus quam triginta iteratis vicibus Parochi semper appellantur: *Plebani seu Rectores Ecclesiarum Plebanialium.* Editum est Diploma apud Kovachich in supplemento ad vestig. Comitior. Tomo 2-o pag. 360. — Praeter nomenclationem tam claram, cujus sensu Parochi in jure Hungarico veri sunt Ecclesiarum Rectores, et qua tales ad Status et Ordines pertinent; illud etiam firmum ex hoc Diplomate deducitur argumentum, quod, cum Parochi paulo ante aevum Codicis Tripartitalis coram Regio Tribunali Causam suam egerint contra Capitulum, et quidem in Caussa possessionaria praeferenter nobilitari decimarum et juris regalis, istud autem vi legum nostrarum nonnisi nobilibus personis, et nobilibus communitatibus competat; Parochos aevo illo indubitate pro nobilibus habitos fuisse. — Ad confirmandum porro sensum tituli hujus 2-di partis 1-ae quod scilicet in eo sub nomine Rectorum Ecclesiarum, aequali cum aliis Statibus nobilitari praerogativa gaudentium, etiam Parochi Catholici intellecti fuerint, magnum adjicitur argumenti pondus ex versione Tripartiti Hungarica, quam

Blasius Veres fecit, et Caspar Heltai (uterque reformatae Religioni addicti) circa annum 1570 typis Claudiopoli expressit, in hac versione praedicti tituli 2-i partis 1-ae verba: *Rectores Ecclesiarum* redduntur Hungarice et exprimuntur: Püspökök és Plebánusok.

Adversus argumentum ex Trip. Part. 1-ae tit. 2-o ductum, in illud, quod Parochi Catholici, qua Rectores Ecclesiarum, eadem cum reliquis Regni Statibus libertate praerogativa, et exemptione gaudeant, illa difficultas 1-a opponitur, quod hoc loco voces: Praelati, et Rectores Ecclesiarum synonimae sint, eandemque habeant significationem, et utraque voce soli Episcopi, qua Rectores Ecclesiarum denotentur, quod evinci intenditur ex ejusdem tituli finali tenore, qui indicare videtur de solis hic Praelatis et Ecclesiarum Rectoribus illis, sermonem esse, quorum utpote homagium centum marcas constituit, et qui Regi in stando et sedendo, et voces emittendo propingviores sunt.

2-da Objectio proponitur ex Trip. Part. 1-a tit. 10-o ubi haec habentur: *Praeterea cunctorum quoque Dominorum Praelatorum et virorum Ecclesiasticorum, Princeps noster verus pariter et legitimus Successor est, non quantum ad bonorum et jurium possessionariorum ab Ecclesia ablationem et sequestrationem,*

sed quantum alteri (vacantibus Praelaturarum Sedibus, et Ecclesiarum rectoratibus) ad gubernandum cum Ecclesia collationem, salvo jure confirmationis Archiepiscopatuum, et Episcopatuum, quae jurisdictioni sacrosanctae Romanae duntaxat Ecclesiae subesse dignoscitur. Ex quo ita arguunt, quod juxta genuinum textum, et sensum tituli hujus, Praelaturarum sedes, et Ecclesiarum Rectoratus idem prorsus significent, et cum subseque Archiepiscopatus et Episcopatus memorentur, nomine Rectorum Ecclesiarum solos Archi- et Episcopos, non autem Parochos intelligi debere.

3-o In subsidium assertionis suae, quod nempe per Rectores Ecclesiarum non Parochi, sed soli Praelati, et Episcopi intelligendi veniant, advocant etiam Articulum 51-um 1514-ti sub Uladislao II-do Rege, qui ita statuit: *insuper per universos Dominos Praelatos, et Ecclesiarum Rectores, cunctis Presbyteris, Dioecesibus eorum subjectis, imo etiam ordinum fratribus sub excommunicationis poena committatur, ut neminem absolvant, nisi prius bona nobilium reddant.* Ex quo articulo ita ratiocinantur: hoc loco Praelati et Rectores Ecclesiarum simul ponuntur, et copulative conjunguntur, adeoque compellationes istae pro synonimis habentur, et idem significare putantur; cum porro Praelati, qua Rectores Ecclesi-

arum Presbyteris Dioecesi suae subjectis committere, et sub gravi poena mandare jubeantur, ne rusticos rebellionis reos, nisi restitutis bonis, a nobilitate ablatis, absolvant; hinc apparere dicunt Rectores Ecclesiarum, a Presbyteris magno discrimine sejungi; Presbyteros proinde rurales, seu plebanos, inter Rectores Ecclesiarum non censeri.

Ad difficultates propositas sequentibus respondetur:

Ad 1-am Expressio: Rectores Ecclesiarum in stylo Legum Hungariae non est ita synonima, et unius significationis, ut per eam soli duntaxat Episcopi, et non etiam alii viri Ecclesiastici, qui Ecclesias, minores licet, regunt, ac gubernant, significentur et denotentur, quam in rem prolixius disserere non oportet, sed sufficit provocatio ad articulos legum ex aevo Tripartiti sub Uladislao II-o utpote, 12-um Decreti 5-i Ulad. anni 1504-i, item articulum 11-um ex aevo Ferdinandi I. anni 1557-i, jam in praeviis citatos, in quibus nomine Rectorum Ecclesiarum diserte et sine omni dubio Parochi intelliguntur. Ex eodem auctoris Tripartiti Steph. Verbőczi aevo adductae sunt etiam sententiae Curiae Regiae, in quibus Parochi plus quam triginta vicibus Rectores Ecclesiarum compellantur; cessare proinde oportet ex horum consideratione omnem ex synonimitate et vocis

quaestionatae ad Episcopos restricta significatione sumtam difficultatem. Quod finalem tenorem ejusdem tituli 2-di Part. I. concernit, illo auctor Tripartiti ostendere nititur, quod licet Praelati et Rectores Ecclesiarum, nec non Barones et Magnates ac Nobiles eadem gaudeant legis praerogativa, immunitate, ac exemptione, inter eos tamen discrimen, distinctio, et differentia intercedat non quidem quoad libertatem, et praerogativam, sed quoad formam et modum externum, ratione videlicet officii, gradus, et dignitatis, ad quam per Legem et Regem sublimati fuerunt, ita ut Episcopi, Barones et Magnates homagium habeant centum marcarum, nobiles autem quinquaginta, atque praeterea isti prius memorati propingviores Regi sint ratione dignitatis, in stando, sedendo, et voces emittendo.

Ex his omnibus tituli hujus tenoribus in genuina, et scopo legis conformi connexione sumtis, illud manifeste evenit: dignitatem et officium Episcoporum, qua Rectorum Ecclesiarum majorum, et qua possessorum beneficiorum praecellentium majoritate sua reliquos Ecclesiarum minorum Praesides et Gubernatores ex cathegoria Rectorum Ecclesiarum excludere non posse, multo autem minus hac sui magnitudine et praecellentia, illos a communione praerogativae nobilitaris arcere, et submovere,

praesertim cum auctor ipse Tripartiti provide ac sapienter praemiserit, non esse distinctionem hanc quoad libertatem, praerogativam, et immunitatem, sed duntaxat ratione officii, et dignitatis, quae tamen ad ipsam nobilitatis substantiam non pertinet. Quemadmodum igitur hoc titulo explanata Baronum, Magnatum, et Procerum Praecellentia reliquos nobiles ad horum classem non pertinentes hoc citato loco ex cathegoria Statuum et Ordinum non excludit, sed illos in suo illis competente ordine illibate relinquit: ita etiam praeeminentia Episcoporum, qua Rectorum Ecclesiarum majorum reliquos inferioris ordinis viros Ecclesiasticos, videlicet Plebanos, in rectoratu Ecclesiarum minorum, salva illorum praerogativa et immunitate in suo gradu rectoratus minoris relinquit. Illud demum, quod expressiones hujusmodi, in quaestione illa, quinam ad statum nobilitarem sensu Decreti Tripartiti pertineant, in corpore ipso Tripartiti non posse ad vivum resecari, nec eas in sensu prorsus grammatico et literali sumi, secus enim ad devias, et abnormes Legum tripartitalium explicationes devenietur, et multi ad legale corpus Statuum et Ordinum, et ad nobilitari praerogativa fulgentes Patriae Cives sensu legum pertinentes, ex classe nobilitari semovebuntur. Exemplum asserti hujus manifestum praebere potest Partis 1-ae famigeratus titulus 9-us, in quo cardinales

nobilium praerogativae recensentur, cujus tenor finalis sequens est: *Per nobiles autem hoc in loco generaliter, universos Dominos Praelatos, Barones, caeterosque Magnates, et alios Regni hujus Proceres intellige, qui (sicuti praenarratum est) una, ejusdemque libertatis praerogativa semper muniuntur.* Quodsi lex ista, quae sane in corpore juris, pro fundamentali habetur, in sensu nudo verbali et prorsus ad litteram grammaticam accipiatur, sequetur ex ea nobiles simplices tam donatarios, quam et armalistas nulla officii, aut dignitatis praecellentia conspicuos, hoc loco nomine nobilitatis non designari; tales enim nec ad Baronum, nec ad Magnatum, et Regni hujus Procerum statum reduci possunt, proinde in stricta literali consequentia inter eos, qui hoc titulo tripartitali enumeratis cardinalibus praerogativis gaudent, et una ejusdemque libertatis praerogativa muniuntur, censeri nequeunt; ex quo illud necessario deduci oportet consectarium, quod expressiones prius memoratae non in sua sola a reliquis separatione, sed in connexione cum toto reliquo juris corpore, et in analogia cum universa constitutione, Legumque fine et spiritu rectam prudenti cum oeconomia interpretationem nancisci debeant. — Leges autem hoc cum temperamento explanatae et intellectae indubie Parochis Catholicis, qua Ecclesiarum inferioris ordinis Rectoribus; qui juxta accuratam Legum

connexionem, et constitutionis Patriae nostrae sinceram analogiam, iisdem semper cum nobilitate, et reliquis Regni statibus usi sunt praerogativis Cardinalibus, iisdemque legibus, judiciis, et judicibus, atque easdem praeterea juxta dictamen Legum constitutionalium pro defensione dulcis hujus Patriae a proportione virium, et opum suarum tulerunt obligationes; officia praeterea et munia nobilibus duntaxat competentia cum honore Status sui gesserunt, Parochis Catholicis praerogativam nobilitarem cum connexo eidem jure voti in Restaurationibus competere sine omni dubitatione comprobant.

Ad 2-am Hoc loco singulari, ntpote Trip. Part. 1-ae tit. 10-o nomine Rectoratuum Ecclesiarum et Praelaturarum solas praecise Sedes Archiepiscopatuum et Episcopatuum, prouti ex immediate sequenti ejusdem contextu, qui priorum vocum significationem ad specifica reducit, atque etiam confirmationis Papalis mentionem injicit, quae utique ad solos Archi- et Episcopos pertinet, intelligi debere dubio vacat; quapropter qui titulo huic tripartitali alienum ab hocce sensu intellectum tribuere vellet, oleum et operam perderet; istud tamen non impedit, nec obstare potest, quominus nomen Rectorum Ecclesiarum genericum, praeter majorum Ecclesiarum Rectores Archi- et Episcopos, etiam alios significatione sua comprehendat Re-

ctores minorum Ecclesiarum, seu Parochos, utpote quibus diserti legum nostrarum textus hanc legalem compellationem tribuunt, atque praeterea praxis et consvetudo Seculorum ostendit clare, hunc loquendi usum, ut videlicet in articulis legum, actis item Ecclesiasticis, politicis, et judiciariis nomenclatione Rectorum Ecclesiarum, non solum majorum Ecclesiarum Praesides, Archi- et Episcopi, verum etiam minores Ecclesias gubernantes Plebani insigniantur; unde consequitur, illum quoque contra torrentem niti cupere, qui ex hocce Tripartiti titulo, vocis Rectores Ecclesiarum exclusivam pro solis Archi- et Episcopis significationem elicere conaretur. Quibus positis, vis difficultatis ex hoc titulo tripartitali sumtae evanescit.

Ad 3-am Articulus 51-us anni 1514-ti ad hanc materiam, et ad propositum evertendi jus nobilitare Parochorum Catholicorum, prorsus invita hermeneutica, sive interpretatione rationali legum, adducitur: Episcopos enim Presbyteris jure divino superiores esse credit Ecclesia Catholica, ad quam omnes, qui ad condendam hanc legem anno 1514 influxerunt, pertinebant; hoc igitur sensu Episcopi Presbyteris Dioecesi suae subjectis, sive illi fuerint Plebani sacerdotes, sive Fratres Ordinum Claustralium, sive demum Presbyteri non beneficiati, aut Archidiaconi, vel horum vices gerentes, quorum di-

serta mentio fit Articulo 60-o ejusdem Decreti anni 1514-ti pro competente sibi potestate, velut jurisdictioni suae subordinatis, mandare et committere potuerant id, quod Articulo hoc committendum praecipitur. Ex his tamen non sequitur illud, quod intenditur, nempe per Episcopos, aut per horum superiorem jurisdictionem, Plebanos a participatione regiminis Ecclesiastici, et a legalis compellationis Rectorum Ecclesiarum, utique minorum, communione excludi, et arceri posse. Articulo igitur hoc explicatione ista ad suum genuinum sensum posito, difficultas ex eo deducta robore suo excidit.

2-do Clerus Pastoralis Catholicus seu Parochi, utuntur fruunturque iisdem cum nobilitate Hungara A) praerogativis Cardinalibus, B) iisdem judiciis, legibus, et judicibus, C) easdem etiam habent nobilitares obligationes. Jam vero ista sunt substantialia, quae veri nominis nobilitatem in Hungaria efficiunt, utpote jura, leges, judicia, et officia nobilitaria; isti proinde sunt etiam distinctivi characteres, quibus status nobilitaris ab ignobili discernitur.

A) Praerogativae nobilitatis Cardinales enumerantur Partis 1-ae titulo 9-no utpote 1-mo, quod nemo Nobilium, nisi legitime citatus et convictus, in persona et rebus suis detineri, aut damnificari possit, idque nec per Regiam qui-

dem Majestatem, exceptis crimine infidelitatis, aliisque eodem titulo memoratis delictis; 2-do quod Nobiles justis juribus et proventibus suis libere uti, fruique possint, atque sint immunes ab omni conditionaria servitute, ac datiarum, collectarum, tributorum, vectigalium et tricesimarum solutione; militare duntaxat pro Regni defensione tenentur.

Quoad 1-um constat omnibus Parochos Catholicos conformiter Trip. prolog. tit. 2. §. 3. ea libertate semper gavisos fuisse, gaudereque etiamnum, ut via facti potentiose laedi, et detineri haud potuerint sine gravi crimine; constat, nullam esse in regno hoc potestatem, quae Parochos Catholicos seu beneficio ejusque proventibus privare, seu in persona aggravare possit, nisi hi praevie, in Officii sui rebus apud suos Praelatos, in realibus autem et Contractualibus, coram concernentibus regni judiciis accusentur, citentur, audiantur, et judicialiter convincantur; ita Part. 1-ae tit. 12. Part. 2-ae tit. 42. et 44. exceptis crimine infidelitatis, et aliis ibidem specifice nominatis.

Quoad 2-um Licet Parochi Catholici bonorum sui beneficii haereditarii Domini non sint hoc sensu, quod ea alienare quoque possint, quod etiam apud seculares Dominos in haereditariis, excepta necessitate, illegaliter fit; sunt

tamen liberi, et plenarii Domini suorum proventuum ita, ut hos, observatis legibus moralibus, canonicis, et patriis, ad fines honestos liberrime impendere possint tam in vita, quam de his etiam causa mortis disponere valeant; qua in re ipsorum libertatem leges patriae, signanter Articulus 10-us anni 1557. tuentur; eosdem etiam et proventus ipsorum leges regni hujus peculiariter curae habent, uti articulus 71-us 1723 ostendit; illos demum etiam ab iniquis exactionibus vindicant, nominatim articuli 69. anni 1498. et 12. 1504. Nemo profecto est etiam hodiedum, qui non dilucide videat, Parochos Catholicos non secus, quam quoscumque regni nobiles possessionatos, reditibus suis libere et imperturbate frui; illud etiam omnibus ex usu quotidiano manifestum est, Parochos Catholicos quoad ultimas suas dispositiones, ipsamque condendi testamenti et codicilli formam, per leges, et altissimas resolutiones penitus Nobilibus aequiparari.

Immunitas porro Catholicorum Parochorum a datiis, contributionibus, vectigalibusque et tricesimis adeo evidens et notoria est, ut de ea nemo forte sit, qui dubitet; est autem haec Parochorum praerogativa non solum usu perenni stabilita, sed et positivis regni legibus stabiliter firmata, in qua etiam disertis legum verbis nobilibus caeteris coaequantur; sunt vero leges

hae: Art. 38-us 1447. 13-us 1468. 85-us 1492. 35-us 1498. 10-us 1458. 27-us 1595. et 43-us 1715. Diserta vero quarundam ex istis Legum verba sic sonant: *Nobiles et Ecclesiasticae personae ad loca tributorum et vadorum ire non teneantur, neque compellantur.* 85. 1492. *Nullus tricesimatorum aut tributariorum de rebus et bonis per Nobiles, Presbyteros ac Monachos emendis, aliquam tricesimam contra eorundem libertates exigere valeat.* 35. 1498. Quis in his legum verbis non videt, modo videre velit, non solum immunitatem, sed etiam immunitatis radicem, utpote praerogativam et libertatem nobilitarem, plenamque cum nobilitate aequiparationem?

B) Parochi Catholici iisdem cum Nobilitate fruuntur judiciis, legibus judicialibus, et judicibus: Nam, uti superius memoratum est, exceptis Officii sui sacri ministeriis, in quibus soli Episcopo subsunt, ab eoque judicantur; in reliquis caussis realibus, uti sunt debiti, damni dati, ex contractibus, item ex neglecti obligationum nobilitarium, uti ex neglecta insurrectione, vel solutione subsidii regnicolaris, item quoad quartas, octavas, aut sedecimas suas etc. etc. reguntur iisdem legibus judiciariis, tam quoad meritum rei, quam etiam quoad processum et formam judiciorum; subsunt porro iisdem cum nobilitate tribunalibus, iisdem quo-

que legibus poenalibus, prout horum omnium citati jam prius tituli Part. 1-ae 12-us, item Part. 2-ae 42-us et 44-us manifesto sunt documento. In poenis nihilominus, et convictivis sententiis leges ipsae praecitatae istud Cleri Catholici a reliquis nobilibus instituunt discrimen, quod, si Ecclesiasticae personae actum majoris potentiae, in quo similiter per judicium seculare discuti et judicari debent, committerent, nihilominus caput amittere non soleant, sed ad emendam capitis condemnari; ita Part. 2-ae tit. 42-us, item Art. 10. 1723. haud absimiliter, si ob notam infidelitatis, aut alia enormia crimina per Fora secularia, quorum judicio in his subjiciuntur, bona universa amittere per sententiam eos oporteret, bonorum quidem patrimonialium et aquisitorum jacturam faciant, bona tamen et possessoria beneficii propterea nec amitti, nec ab Ecclesiis avelli possint, vita nihilominus demerito ita exigente, post praemissam degradationem, privari soleant; Part. 2-dae tit. 44 et 51. — Accedunt ad haec leges illae toties iteratae, in quibus personae Ecclesiasticae cum Nobilibus quoad gravamina judiciorum per omnia parificantur, et aequales omnino pronunciantur, quales sunt Art. 38-us 1439. 25-us 1447. 14-us 1464. 39-us 1468. 28-us 1486. 76-us 1492. 16-us 1647. item Part. 2-ae tit. 44. — Quia autem leges istae mox citatae, non solum de Praelatis, sed universim et in genere de personis Eccle-

siasticis loquuntur, uti id verba ipsa legum evidenter declarant; et quia leges has usus seculorum, atque perennis judiciorum consvetudo ad Parochos Catholicos semper adplicuit;, ideo ex earundem legum sensu genuino, et ex ratione ipsa legis Partis I-ae titulo 2-do satis declarata liquet, Parochos Catholicos, quoad leges judiciales, ac judiciorum formam et competentiam semper in numero Nobilium regni hujus habitos fuisse.

C) Easdem cum Nobilibus Parochi Catholici habent sibi incumbentes de lege nobilitares obligationes. Postquam Part. I-ae titulo 9-no libertates, praerogativae, et immunitates nobilium enumeratae fuerunt, subnectitur: *Militare duntaxat pro defensione regni tenentur.* Adeo vero peculiaris, et proprius nobilitati Hungaricae fuit iste defensionis regni character, ut quicunque pro hac defensione vel in persona insurrexerunt, vel loco personae suae alios in castris armatos intertenuerunt, istud semper pro singulari nobilitatis documento habitum sit. — Jam vero Statum Ecclesiasticum Hungaricum in genere, Parochos autem Catholicos in specie ad militandum pro defensione regni obligari, atque hoc titulo ab omnibus aliis datiis et taxationibus immunes esse, e legibus ipsis liquet: *Ecclesiasticae personae a taxis non diu abusive introductis liberae et absolutae relinquantur;*

servitia tamen exercitualia, more alias consueto, facere teneantur. Alb. Reg. 1439. Art. 19. *Viri Ecclesiastici neque majores neque minores deinceps dicantur, aut aliqua taxa graventur; tamen illi ex eis, qui exercituare tenentur, id faciant secundum antiquum modum.* Math. 1-mi Decr. 3-ii art. 24. Ex illis autem viris Ecclesiasticis, qui exercituare more alias consveto tenebantur, etiam Parochos Catholicos fuisse, leges ipsae manifeste declarant; et imprimis quidem Plebani possessionati, uti alii regni nobiles, in negotio insurrectionis tractari jubentur, tum vetustis legibus, tum etiam novissimo Articulo 1-o 1805. §. 6 — 8. Porro Plebani opimioribus provisi proventibus, uti erant in Lib. Regiis, ac montanis Civitatibus, item Plebani de Bereksz ász, Szőlős, et Patak a singulis centum, et tardius a singulis ducentis florenis suorum proventuum unum armatum equitem pro se in castra expedire, et intertenere obligabantur Art. 25. 1545. item Art. 5. 1662. Ex pauperioribus vero Plebanis villanis, erga jussionem Articuli 23-ii anni 1545. decem personae tenebant unum equitem, ad exemplum nobilium unius sessionis, e quibus juxta statutum Articulorum 25. 1542. et 14. 1543. quinque Curiae unum equitem dabant; confirmatur id ipsum aliis etiam diaetalibus Articulis, signanter 5-to 1662. item 46. 1681. in quibus mandatur, ut *Plebani pauperiores juxta Art. 23-um 1545. a decem*

ipsorum personis unum equitem conducere, *et pro defensione patriae in Castris tenere sint obligati.* — Nemo per leges Hungaricas ad insurgendum in persona, vel statuendum loco suae personae equitem obligatur, nisi indubitata nobilitari gaudens praerogativa, quales sunt Praelati, Barones, Magnates, Nobiles, et Liberae Regiae Civitates in communi nobilem constituentes, ac praeterea qui professione sua privilegiati milites sunt, uti Jászones, Cumani et Hajdones, ac Confiniarii; cum igitur Parochi Catholici professione sua inter militantes non pertineant, et tamen per leges ad statuendos et intertenendos pro se equites obstringantur, manifestum ex eo est, ipsos per leges inter nobiles censeri.

Atque ex hoc principio facile refellitur difficultas, quam in hac materia oggerere solent, nempe ex eo, quod Parochi Catholici concurrant ad principalem obligationem nobilitarem, scilicet insurrectionem, non recte inferri jus ipsorum nobilitare, cum juxta quospiam regni Articulos etiam homines certe nulla nobilitate gaudentes, uti quaestores, molitores, opiliones, lignicidae, carbonarii, et alii ad onera insurrectionis concurrant. Respondetur enim: istos concurrere ad insurrectionem solvendo taxam pro conducendis et alendis gentibus Comitatuum, ut id ex ipsis in hanc rem legibus manifeste apparet; non concurrere autem eosdem ad insur-

rectionem in persona insurgendo, vel loco sui alium statuendo, quod juxta sensum praecitatarum legum praestare obligantur sicut unius sessionis nobiles, et armalistae, ita etiam Parochi Catholici; quapropter hac differentia in legibus ipsis fundata stante, isti sunt veri nobiles, non autem prius enumerati.

Porro ad confirmandam vim argumenti hujus, merito adducitur etiam Articulus 8-vus anni 1715. qui inter leges novellares unus est ex Articulis regni fundamentalibus; *Nobiles, inquit, et omnes illi, quos sub nomenclatione hac, cujuscunque sint honoris, dignitatis et status personae, in Ungaria lex complectitur, pro regni defensione militare, adeoque personaliter insurgere, suaque respective Banderia producere, et praestare tenentur.* — Si in lege hac sana existit Logica, prout eam huic legi inesse sapientia legislationis aevi illius supponere jubet, tum vero, quia correlatorum eadem et mutua vicissim est ratio, sic e converso argumentari et concludere licet: Omnes igitur, qui pro regni defensione militare, adeoque personaliter insurgere, suaque respective Banderia praestare tenentur, nobiles sunt, et omnes hos lex in Ungaria sub nomenclatione nobilium complectitur. Quapropter cum Plebani Catholici sensu citatarum superius legum, utpote 23. 1545. 5. 1662. et 46. 1681. loco personae suae pro

insurrectione militem statuere, et tenere obligati fuerint, et si Patria postulet, hodie quoque obligentur, liquidae consequentiae est, eosdem nobilitari gaudere praerogativa.

Denique omnes has argumentandi rationes, licet hactenus suo loco et non inutiliter ex ipsis Juris Patrii principiis propositas, superfluas reddit lex evidens et manifesta, utpote articulus 57-us anni 1647. qui sic habet: *Pro legitima jurisdictione Regni et sacrae coronae, jurisque patrii in maritimis quoque partibus conservatione, statuitur ac decernitur: — Ut nobiles et Ecclesiastici viri in illis partibus commorantes, ad instar aliorum nobilium, et Ecclesiasticorum, sicuti iisdem praerogativis ac libertatibus, ita etiam iisdem juribus regni uti, frui, ac subesse debeant, atque possint.* Haec lex viros Ecclesiasticos et nobiles sub legitima jurisdictione sacrae regni Coronae iisdem juribus, praerogativis, et libertatibus uti et frui adeo manifeste edicit, ut paraphrasi uberiore haud indigeat. Nomine autem virorum Ecclesiasticorum hoc loco etiam Parochos intelligi inde constat, quod de Capitulo Segniensi, quod solum existit in illis partibus, ejusdem articuli §-pho 3-o speciatim statuatur.

Illud etiam pro superpondio horum omnium addi potest, quod parochi Catholici olim in

Hungaria officia civilia gesserint nobilibus competentia; duce enim historia et diplomatibus facile est edocere, quod Parochi Hungari Legationes Regum ad alios Reges detulerint, ita Uladislaus II-us Rex de conciliando inter Fratrem suum Sigismundum Regem Poloniae et Barbaram de Zapolya matrimonio consentientem voluntatem suam eidem Fratri Regi medio Legatorum Casimiri Ducis Teschinensis et Michaelis Hamel Budensis Parochi, et Archipresbyteri, quem nos hodie Vice-Archi-Diaconum diceremus, teste fidedigno Nicolao Istvánfi declaravit. Testes etiam et fidedignitates in consortio Hominum regiorum fuerant in statutionibus Parochi, ita anno 1309-o regnante Carolo Roberto in Statutione terrarum Milenthe et Olajkutha pro Magistro Martino Mathaei Trenchiniensis olim Palatini tavernico cum homine regio statuens testis interfuit Demetrius Sacerdos Plebanus de Paak. Fejér Diplom. Hung. Tom. 8. Vol. I. pag. 341. Item 1314 sub eodem Carolo Roberto in statutione terrae inter Szent Mihály et Orkuta sitae, pro filiis Andreae de genere Tekule adfuit, qua testis statuens Nicolaus Plebanus de Jászov, Fejér Dipl. Hung. Tom 8. Vol. I. pag. 543. Parochi praeterea munia Secretariorum Regiae Majestatis gesserunt, quod officium semper cum praerogativa nobilitatis junctum fuit; exemplum hujus rei exhibuit Thomas Szalaházi, qui anno 1526-o Episcopus

Veszprimiensis et paulopost etiam Agriensis nominatus, ac demum ad officium Cancellarii Regii evectus, ante obtentas has dignitates fuit Plebanus de Bereghszasz, et Secretarius Regiae Majestatis, de quo documentum exstat apud Schmidt in Episcopis Agriensibus Tom. II. pag. 300.

Sequuntur difficultates et objectiones, quae adversus Parochorum Catholicorum nobilitarem praerogativam, et illi cohaerens jus suffragii poni ex aliis fontibus solent.

Prima objectio peti solet communiter ex usu et consvetudine, qua mediante Parochi a jure dandi in restaurationibus Comitatensibus voti exclusi esse praetenduntur.

Ad hanc difficultatem responsum fuit: Usum hunc, et consvetudinem hanc, Parochos a jure dandi voti practensive excludentem, non habere illas qualitates, quas lex, ac in specie Prologialis titulus 10-us ad hoc requirit, ut usus et consvetudo vim legis obtineat. Nam

1-o Juxta Prolog. tit. 10. *Consvetudo est jus quoddam moribus illius introductum, qui auctoritate publica legem condere potest.* Leges in regno hoc publica auctoritate condere potest *Rex* cum consensu *Statuum et Ordinum*; at vero Rex Hungariae Apostolicus nunquam

probavit morem illum, quo Parochi Catholici a jure suffragii excluduntur; quoties enim Clerus in diversis Comitatibus semet a dandis votis exclusum esse loco altissimo questus fuit, toties Sua Majestas Parochos, velut gaudentes nobilitatis praerogativa, ad jus dandi voti reponi jussit; — sed nec Status et Ordines regni in Comitatibus dispersi morem hunc probarunt, imo facto contrarium ostenderunt eo ipso, quod in pluribus regni Comitatibus Parochis Catholicis jus voti in Restaurationibus detulerint. Proinde factum exclusionis Parochorum a jure suffragii, usus legalis, ex ipsa usus definitione compellari non potest, pugnare enim videtur cum mente legislatoris.

2-da Qualitas legitimae consvetudinis est, ut sit rationabilis; rationabilitas autem haec inter caetera etiam in eo consistit, ne sit contraria juri naturali, ac divino, juri item gentium, et positivo communi; sed enim demonstratum esse videtur, consvetudinem hanc Parochos a jure dandi excludentem esse contra jus commune Hungariae, utpote cum Parochi jure communi, pro nobilibus semper habiti, et consequenter pro talibus, qui etiam jure suffragii in electionibus gaudent, agniti fuerint.

3-a Consvetudinis legitimae qualitas est, *ut sit legitime praescripta, seu ut per decur-*

sum temporis ad praescriptionem requisiti firmetur. Jam vero modus in restaurationibus ad electionem per vota singillativa procedendi recentior est, antea enim, prout e legibus et hitsoria constat, sicut Reges, Palatini, et Coronae Custodes in Comitiis Regni, ita etiam Judices et Magistratus in Comitatibus per acclamationem eligebantur, ad acclamationes vero has etiam Parochi concurrebant. Ex hec proinde sequitur, quod usus et consvetudo, quae antea non viguit, sicut non potest pro probando jure voti singillativi allegari, ita nec ad illud idem jus refellendum adduci, proinde *nec pro, nec contra* instar argumenti adferri possit. Ac ideo

4-ta etiam Consvetudinis qualitas, utpote ut coalescat *ex actibus frequentatis*, in hac materia evanescit, uti enim dictum est, actus restaurationis per vota singillativa antea non fuerunt usitati, multo minus frequentati. Usus proinde praetensus vota singillativa in Restaurationibus edendi, aut Parochos ab hujusmodi votis excludendi, velut hactenus novus, ob defectum actuum frequentatorum pro legali usu et consvetudine in neutram partem adduci potest; sed usus nobilitaris praerogativae, qui Parochis Catholicis non deest, pro fundamento eidem cohaerentis juris suffragii sufficit.

Altera objectio, quae opponi solet, haec

est: quod jus nobilitare in regno hoc sit vel *privilegiale*, quando nempe quispiam litteris Regiae Majestatis privilegialibus in numerum nobilium refertur, vel *nativum*, quando quis a nobilibus per nativitatem condescendit. Pro argumento et probatione hujus difficultatis adferri solet Part. 1-ae tit. 3-ii §. 7-us. *Neque enim Princeps, nisi per nobiles, eligitur; neque nobilis, nisi per Principem, creatur, atque dignitate nobilitari decoratur.* Unde inquiunt, cum Parochi per litteras privilegiales nobiles non sint, nisi nativitate a nobilibus condescendant, pro nobilibus haberi nequeunt.

Difficultati huic responderi potest: Parochi Catholici, qui per legem ipsam in numerum nobilium referuntur, sunt nobiles *eminenter privilegiales*, quia lex regni manifestam Regis coronati voluntatem complectitur; unde qui sensu legis, voluntate Regis conditae, ac usu firmatae, nobilibus regni accensentur, eminenter privilegiali gaudent nobilitate; istud autem quoad Parochos Catholicos sensu legum regni hujus verum esse, censetur esse ostensum. Primus videlicet Rex Apostolicus, qui juxta ejusdem Part. 1-ae tit. 3. §-um 6-um Hungaricae Constitutionis fundamenta jecit; quemadmodum Episcopos, Abbates, et Capitula, ita etiam Parochos, quos ille, et ejusdem Succesores iisdem cum nobilitate cardinalibus juribus, iisdem le-

gibus et judiciis subesse, iisdemque obligationibus teneri statuerunt, ipso legis edicto nobilitate donarunt. Nobilitas autem Parochorum, sicut et aliorum ex ordine Praelatorum et Rectorum Ecclesiarum, non per generationem propagatur, sed per legitimam in officio et ordine sacro successionem continuatur. Unde Parochorum legalis nobilitas, quatenus ordini et officio propria est, nativam non requirit nobilitatem.

Porro responderi potest: illud, quod pro basi objectionis hujus sumitur, scilicet jus nobilitatis in Hungaria esse solum vel privilegiale, vel nativum, est erroneum fundamentum, neque juxta leges nostras subsistit, certum enim ex his est, dari praeterea in regno hoc nobilitatem status et dignitatis. Ita Kelemen Juris prudentiae Tomo 1-o. §-o 164. pag. 209. — Quod porro nobilitatem Status et dignitatis attinet: licet Episcopi praeter nobilitatem characteris et Status sui, etiam Litteras Regias Collationales super sui nominatione, ac bonorum et proventuum largitione obtineant, adeoque vel harum virtute nobiles evadant, certum tamen est, dari in reliquo etiam statu Praelatorum et virorum Ecclesiasticorum, quospiam, qui sine litteris Regiis Collationalibus aut confirmationalibus, per solam officij et dignitatis adeptionem, ac bonorum et proventuum appre-

hensionem, Praelati evadunt; atque juxta leges nobilitari donantur jure. — Tales olim fuerant Abbates et Praepositi Regulares, qui postquam per Conventus suos pro talibus canonice electi, per superioritatem Ecclesiasticam confirmati, et in officium introducti fuissent; hoc ipso Praelati effecti, atque nobilitati fuerunt. Tales erant etiam Canonici Ecclesiarum Cathedralium, qui conformiter legibus, signanter Articulis 21. 1526. item 55. 1723. per Episcopos suos nominati, atque in Capitulis installati, per hanc stalli sui obtentionem Statui Capitularium Canonicorum, velut nobilitari, innexi ac ingremiati fuerunt. Tales sunt hodie quoque Abbates et Praepositi, quorum nominatio ad privatos Patronos pertinet, uti sunt nominatim Praepositus de Vágh-Ujhely, de Felső-Örs, de Ják, etc. hi quoque per Patronos suos nominati, et in beneficia introducti, sine Privilegio Collationali vel Confirmationali, ratione solummodo Status et dignitatis obtentae, nobilitari potiuntur praerogativa, et aliqui eorum etiam ad Comitia evocantur.

Verum non in solo statu Ecclesiasticorum et Regularium, sed etiam in statu Saecularium datur nobilitas statûs et conditionis absque ulla privilegiali nobilitate, aut nativa; nam foeminam ignobilem, si viro nobili nubat; multo autem magis, si talis marito praemortuo vidua

evadat, nobilitaribus gaudere juribus, e legibus nostris indubium est; cujusmodi nobilitatio, nec privilegio, nec nativitati adscribi potest, sed soli statui et conditioni, per legitimum conjugium obtentis, adtribuenda est. Existit proinde in Hungaria nobilitas status, dignitatis, et officii, atque ad hanc etiam Parochi Catholici pertinent.

Tertia Objectio desumitur ex Articulo 24-to 1514-ti qui sic habet: *Nemo de rustica progenie natus, in Episcopum, vel Archiepiscopum, ob perpetuam praemissae rusticanae proditionis memoriam, per Regiam Majestatem promoveatur.* Unde hoc nectunt argumentum: Si e sacerdotibus Catholicis illi, qui de ignobili progenie nati sunt, ad dignitates majores, velut minus apti, promoveri vetantur, sequitur, sacerdotes hos, nisi nativitate nobiles sint, non haberi pro nobilibus, neque eos per sacerdotii characterem nobilitari.

Respondetur primo: Hoc argumentum, siquid valeret, nimium probaret, proinde nihil probat. Ex hoc enim argumento sequeretur, etiam Archiepiscopos et Episcopos, nisi de nobili progenie nati sint, nobilitate carere, cum tamen sensu Part. 1. titlor. 2. et 10. isti ad primum regni statum pertineant, ac propter dignitatem suam etiam inter Barones et Nobiles emi-

neant; his proinde nec ipsi adversarii nobilitatem negare sustinent.

Respondetur secundo directe: Sacerdotes Catholici, duplici nobilitate in uno eodemque subjecto gaudere possunt, una nempe nativa, si de nobili progenie sint orti, altera autem nobilitate Status et Ordinis sui; sunt vero multi e Sacerdotibus Catholicis, qui de ignobili stirpe geniti, sola et unica Ordinis sui sacri potiuntur nobilitate. Hoc praemisso, facile jam ex fine legis et ex ipsis Articuli verbis intelligitur, legislationem Hungaricam hoc Articulo illud decernere voluisse: ut, ad plectendam etiam in posteris rusticam progeniem, illorum stirps, etiamsi Sacerdotium amplexa fuerit, ad Archi- et Episcopatum eluctandi nullam spem habeat, sed ad has dignitates soli Sacerdotes duplici, scilicet etiam nativa gaudentes nobilitate, nominatione Regia promoveri possint. Praeter poenam seditiosis rusticis irrogandam, aliam etiam politicam in praecitata lege ferenda Status et Ordines habuerunt considerationem; scilicet, cum Archi- et Episcopi in Hungaria magnum semper in negotia publica habuerint influxum, Praesules autem etiam nativitate et genere nobiles, ad sustentanda principia Aristocratiae, tuenda item nobilitatis privilegia; et terrestrium dominorum in rusticos jura manutenenda merito proniores, ferventioresque exi-

stimentur; ideo ad antevertendum imposterum similium rusticanarum seditionum periculum, firmamentumque juribus suis procurandum, constituerunt, ut posthac Archiepiscopi et Episcopi, qui magnam habent in publicis agendis partem, non solum Sacerdotio et dignitate, sed etiam genere ac nativitate nobiles sint, nec secus ad has dignitates promoveri valeant.

Caeterum Diaetae hujus anno 1514. in fervore vindictae adversus rebelles rusticos celebratae, quemadmodum complures alii Articuli, ita etiam praesens, de quo agimus, Articulus 22-tus nunquam in usum venit, nec in effectum abiit, mansitque lex ista sine valore, et efficacia, in sola Codicis littera subsistens. Ad hujus rei demonstrationem producitur articuli hujus ultima clausula, quae sic habet: *Etsi quispiam promoveretur, nemo illi decimas dare teneatur.* Magna cum probabilitate, et quantum memoria praeteritorum temporum hactenus ostendit, sine temeritatis nota affirmari potest: Etiamsi insignes in Regno hoc ex II. Statibus Magnatum et nobilium stirpes sollicito labore, et magna accuratione, sive acta publica se, suosque antenatos attinentia pervestigarent, sive Familiarum suarum Archiva excuterent, neutiquam deprehensum iri legale aliquod vestigium, vel indubitatum exemplum, quo demonstrari valeret, legem hanc in usum ivisse, atque Ar-

chiepiscopo vel Episcopo alicui, ea de causa quod genere ignobili natus sit, cum provocatione articuli hujus decimas denegatas fuisse; Ipsi proinde Status et Ordines ea pollebant mentis perspicacia, eamque semper praeseferebant animorum moderationem, ut legem hanc sine effectu jacere et vetustate sua obsolescere sinere consultius esse judicaverint. — Fuisse autem et tempore latae legis, et postea Praesules ignobili genere natos, historia evidenter docet; anno latae legis, ut e subscriptionibus apparet, Primas Regni fuit Thomas Bakács Erdődini in Comitatu Szathmariensi ignobilibus genitus majoribus, dominatui Drágfiorum obnoxiis, quod ipse magnus hic vir fateri postea non erubuit, quemadmodum id Tubero coaevus eidem, et Nicolaus Istvánfi in literas retulerunt; hujus Successor Georgius Szakmári Cassoviae parentibus civilis conditionis natus fuit, uti id Archivum Civitatis Cassoviensis ostendit; hujus vero Successoris Ladislai Szalkai adeo notoria fuit ignobilitas, ut eum in Diaetis Rákosiensibus rusticum, sutoris filium nobilitas palam proclamaverit. Atque ita lex haec consensione Regis, et Statuum omni efficacitate destituta permansit usque annum 1606. quo pacificatio Viennensis inita fuit, cujus occasione Evangelici Postulatorum suorum puncto 5-o antiquam hanc refricuerunt suam de Episcopis, et Praelatis Hungariae Ideam; sed in responsis

et Resolutionibus Regiis, quae dein pacem ipsam constituentes Codicem Juris ingressae sunt, de hoc objecto ista habentur ad quintum §. 3-io: *Maneat iste quoque articulus antea conclusus; ne Sacrae Caesareae et Regiae Majestatis authoritati et potestati quidpiam derogetur, in ejus arbitrio relinquitur Episcopos, quos voluerit, eligere. — Et inter hos quidem, ut eorum, qui ex nobili prosapia oriundi habiles sunt, condigna ratio prae caeteris, sicut ante, ita imposterum observetur, Sua Caesarea et Regia Majestas benigne curabit.* Ad hoc igitur reducebatur totum, quidquid in hac re, tam *ante* quam *post* pacificationem Viennensem legale fuit; ex quo quid contra nobilitare jus Catholicorum Parochorum deduci possit perspici nequit.

4-am Difficultatem ita adornant: Praecipuum nobilitaris praerogativae Parochorum Catholicorum motivum in eo reponitur, quod Parochi Catholici cum caeteris Baronibus, Magnatibus, et Regni nobilibus iisdem legibus utantur, eadem habeant judicia, et coram iisdem judicibus in caussis civilibus, violentialibus, et contractualibus agere, et juri stare teneantur; proinde ab exemplo etiam et ab analogia nobilium, quorum praerogativis gaudent, judices votis suis eligere jure suo possint; ex adverso contrariae sententiae adhaerentes ita arguunt: Si

fundamentum hoc nobilitaris praerogativae subsisteret, tum vero etiam ii, qui honoratiorum nomine veniunt, uti Professores, et pensionati militares Officiales, qui coram Vice-Comitibus et Judlium in jus vocari solent; imo etiam ignobiles, quibus juxta novellares articulos in Caussis Successionis et contractualibus proprius actoratus admissus est, eandem Judices Comitatenses votis suis deligendi activitatem praetenderent.

Ad 4-tam Difficultatis hujus expositione intervertitur series et vis argumentorum, quae pro suffragatione Parochorum Catholicorum in Restaurationibus competente adducta fuerunt: vis enim et praecipua energia argumentationis hujus in eo reponitur, quod Parochi Catholici praerogativa nobilitari gaudeant, adeoque qua tales in Comitatu residentes, officium item legale, et honorificum gerentes, exemplo etiam aliorum nobilitari praerogativa pollentium ad suffragia danda admittendi sint. Nobilitaris autem praerogativa Parochorum Catholicorum, illiusque usus perpetuus, praeter multa alia superius adducta motiva demonstratur ex eo, quod illi semper, et ubivis cum caeteris regni Statibus, Praelatis, utpote Baronibus, Magnatibus et Nobilibus iisdem legibus, judicibus, et judiciis, praeter usum perennem cardinalium tituli 9-ni Part. 1-ae praerogativarum usi fuerint, iisdem

etiam gravaminibus judiciariis obnoxii exstiterint, ac in nexu horum easdem etiam legales nobilitatis obligationes adimpleverint; quae omnia argumenta in sua complexione sumta, coram quocunque nobilitatis legitimatorio foro, valorem nancisci debere, e spiritu, et analogia Legum Patriae nostrae indubium est. At vero ista nec per dictos honoratiores, quibus compellationem hanc politica administratio tribuit, absque ulla per leges tributa nobilitari praerogativa, in consequentiam trahi possunt; multo autem minus consectarium hoc ab ignobilibus, actoratu proprio per leges novellares pollentibus verendum est, utpote quos legis ejusdem novellaris art. 20. 1802. expressio ignobiles compellat, adeoque praerogativae nobilitaris intuitu dandi in Restauratoriis Sedibus voti ipsa hac compellatione incapaces statuit.

5-a Difficultas, hac argumentandi ratione proponitur: Ad suffragia in Sedibus Comitatuum restauratoriis jure danda, non sufficit sola nobilitaris praerogativa, verum requiri praeterea videtur, ut nobilis votum daturus, ex territorio S. Regni Hungariae Coronae portionem aliquam jure possessionario teneat, aut talem tenendi capacitatem habeat. Hac autem qualitate Parochi Catholici, praeter Parochos ratione beneficii Parochialis possessionatos (quales plerumque perpauci sunt) destituuntur, proinde vota dandi jure aeque carent.

Ad 5-am: Difficultatis hujus fundamentum subsistere haud posse censetur ex eo, quod nobiles etiam armalistae, quibus nobilitaris praerogativa, et exemtio a coetu ignobilium, ac insertio in numerum verorum nobilium Sensu tit. 6. part. 1-ae absque ulla possessionaria donatione confertur, suffragia in Restaurationibus dandi activitate tam sensu legum, ad obtinenda officia Comitatensia consensionem Universitatis nobilium requirentium, quam etiam praxi et exemplo omnium in Regno hoc Comitatuum jure suffragationis in sedibus restauratoriis gaudeant. Quod capacitatem portionem aliquam territorii S. Coronae possidendi concernit, hac omnis Hungariae nobilis etiam armalista pollet. In reliquo Parochos Catholicos non tantum nobilitari praerogativa, armalistis pari gaudere, sed vere possessionatos nobiles esse ostenditur sequentibus; jus decimarum in Hungaria, velut jus et beneficium regium, est eminenter jus possessionarium, cujus si vel portio quaepiam conferatur a Regia Majestate, aut ab eo, cui lex et regia Majestas hujusmodi jus collationis largita est, talis indubie possessionatus nobilis evadit, praeprimis si alias etiam praerogativa nobilitari polleat. Sed enim Parochos Catholicos inde ab initiis Constitutionis Hungaricae jure decimas, secutis autem temporibus partem aliquam decimarum, utpote quartam,

vel octavam, aut sedecimam desumendi semper gavisos fuisse, et hodiedum gaudere, e tenoribus Legum Patriae indubitatum fit. Ex numero legum hanc in rem plurimarum sequentes duntaxat adducuntur: articulo 50-o 1498-i praecipitur: „ut Praelati Ecclesiarum, Plebanis Ec„clesiarum, his scilicet quibus tenentur, secun„dum consvetudinem hactenus observatam, de „proventibus eorum decimalibus quartam sol„vant. „Art. 55-o 1546-i statuitur: ut exacto „die (Festi S. Georgii) liceat cuicunque deci„mas ipsas conducere, sic tamen, ut solitam „decimam, et modo antiquo, in hujusmodi ob„servato, nec aliter exigant, Plebanisque suam „persolvant Sedecimam.“ Similiter art. 12-o „1557-i injungitur: „ut Praelati decimas pro se „colligentes, aut aliis in arendam locantes, te„neantur quartas et sedecimas earundem illis, „ad quos spectant, quiete pacifice, ac plenarie „reddere:“ Postremo denique art. 71-us 1723-ii partem sedecimam decimarum, atque etiam octavam, ubi in usu fuit, Parochis Catholicis ubique praestandam esse decrevit, adeoque partem hanc decimarum regalium legitimis Parochorum Catholicorum proventibus accensuit, proventus autem hujusmodi Parochiales et quosvis eorumdem titulos, et quascunque portiones redituum, dum per canonicam Episcopi collationem ac institutionem cuipiam assignantur, id

ipsum ex ipsa regiae Majestatis, qua beneficiorum Ecclesiasticorum omnium in Regno hoc Universalis Patroni concessione, et annuentia fieri art. 67-us 1497-i palam facit, in quo postquam collationes quorumcunque beneficiorum in omnibus Ecclesiis regni ad Reg. Majestatem spectare dicuntur, atque beneficia per Praelatos in eorum Ecclesiis, quibus ex provisione regiae Majestatis praesunt, vacantia cum consensu et annuentia regiae Majestatis conferri jubentur; in fine demum articuli adjicitur clausula: *deinceps autem dignetur Majestas sua taliter providere, quod hujusmodi beneficia Ecclesiastica, quae animarum sunt refocillamina, sicuti per Majestatem suam, ita etiam per viros Ecclesiasticos, quibus ad hoc facultatem concesserit, personis tantummodo adultis, et bene meritis, et non juvenibus, neque idiotis conferantur, ut servitia Divina in Ecclesiis sacrae Coronae hujus regni subjectis eo sedulius peragantur.* Ex hisce legis tenoribus manifeste liquet, quod Episcopi, sive ipsimet voluntate propria beneficia quaedam conferant, sive praesentatos a patronis in beneficia instituant, et ad illud introduci faciant, semper tamen Parochis Catholicis proventus eorum integros, una cum quarta, octava, vel sedecima decimarum ex concessione regia et jure ex universali, Regum in Ecclesiis Hunga-

riae patronatu participato assignare, adeoque Parochos Catholicos vere et praeferenter possessionatos nobiles esse. Demum opinio haec demissa restricta est ad solos Parochos Catholicos; ad reliquos seculares Presbyteros, qui vel Parochorum in cura animarum adjutores sunt, vel in scholis publicis docent, aut privatim educatores agunt, extendi non intenditur, isti enim ad categoriam legalis juris Rectorum Ecclesiarum, quemadmodum etiam regulares, reduci nequeunt.

Quamquam demum quaestio praesens, in qua de praerogativa nobilitari Parochorum Catholicorum, deque eorum in congregationibus Comitatuum, et restauratoriis sedibus votis et suffragiis agitur, e legibus regni, jureque civili patriae hujus decidenda esse videatur, quoniam ubi de jure cuipiam in societate civili ita competente quaeritur, ut usum juris illius sine ullo obice sibi per concives admittendum quis exigere, et postulare possit, objecti illius discussio, dijudicatio, atque etiam determinatio ex jure et legibus, atque legitimis consvetudinibus ejusdem civilis societatis fieri debeat; possunt nihilominus ad quaestionem hanc tam dilucidandam, comprobandamque, quam et definiendam argumenta quaepiam subsidiaria, ex aliis etiam locis accessorie rem concernentibus, sicut

in aliis quoque controversiis fieri solet, adferri, atque instar motivorum proponi. Talia in praesenti quaestione forent illa rationum momenta, quae ex indole conventuum publicorum, atque ex relatione illa, quam Parochi, qua doctores populi, ministri religionis, et Curatotores fidelium animarum, erga civilem societatem habent, in considerationem sumantur, atque in propugnationem caussae et juris Parochis his competentis advocentur. — Conventus enim hujusmodi publici in Comitatibus eo fine aguntur, ut in illis negotia cum salute societatis civilis conjuncta, atque ad emolumentum et beatitatem populi tendentia in disquisitionem accipiantur, et sententiis universorum collectorum Statuum definiantur. In his Conventibus tractatur tam de tributis ad aerarium pendendis, horumque modulo conditioni plebis contribuentis admetiendo, depensione item eorum facilitanda, quam etiam de praestationibus per Colonos Dynastis suis exhibendis, et universim de obligationibus populo incumbentibus, ac persaepe etiam de beneficiis per publicam administrationem plebi procurandis, atque cumprimis de justitia, ubi plebem hanc de injuriis aut laesionibus contingit queri, eidem ex aequo, et ex norma legum administranda; Conventus hujusmodi, seu Congregationes generales eo etiam fine convocantur, ut illae consilia

ineant, et rationem inveniant, qua videlicet non solum progressus in felicitate civili, sed etiam in cultura morali, et intellectuali, tam in statu nobilitari, quam etiam in populo rurali comparari, atque sensim ad altiorem, cuique statui convenientem gradum provehi possit.

Qui autem in his rebus magis opportuna, atque idonea ad scopum assequendum consilia suggerere, et media proponere possint, quam rurales Catholici Parochi, et animarum Curatores, non facile perspicitur: Isti enim ex natura et indole officii sui in medio plebis, curae et vigilantiae suae commissae, constituti, eorumque felicitatem tam aeternam, quam etiam temporalem non solum optare et desiderare, verum etiam modis competentibus promovere in conscientia obligati; non solum praesentem populi conditionem optime noverunt, sed etiam quibusnam viis et adminiculis ad ulteriorem status illorum perfectionem et promovendam prosperitatem vitae utriusque, nempe civilis, et aeviternae progressiones fieri valeant, optime perspicere, aliosque felicitatis populorum studiosos eatenus informare, et consiliis adjuvare valent.

Atque his ex rationum momentis illud a majoribus nostris sapienter institutum fuisse

videtur, quod Clerus Catholicus, primordiis Constitutionis Hungaricae, et susceptae Religionis Christianae initiis prorsus coaevus, non solum ex ordine Episcoporum consistens, sed etiam Sacerdotes rurales, atque Presbyteri plebium, seu Plebani, in Congregationibus regni generalibus, sub Praesidio Regum, et in consessu Optimatum Regni comparere ausi, et ad eas admissi fuerint. Ita S. Ladislaus, se praesidente in civitate Szabolcs Synodum, seu conventum habuit, cum universis Regni sui Pontificibus et Abbatibus, necnon cunctis Optimatibus, cum testimonio totius Cleri, et populi. S. Ladislai Decretor. Lib. I. Quo loco nomine totius Cleri, etiam Sacerdotes Curatos, seu Presbyteros plebium, vel Plebanos intelligi debere indubitatum est. Successor autem immediatus Sancti hujus Regis, Colomannus Decretor. Lib. I. Cap. 2. constituit, ut in unoquoque Episcopatu Synodi celebrentur, una in festivitate Apostolorum Philippi et Jacobi, altera in octavis S. Michaëlis, in qua tam Comes, quam Comites, et aliorum Magistratuum dignitates, ad suum Episcopum conveniant, atque in hujusmodi Synodis etiam sine Episcopi sigillo, sive sine citatione, Episcoporum, Comitum, et reliquorum Capellani comparere debebant; quo nomine indubie intelligendi sunt sacerdotes inferioris ordinis, in bonis, villis,

aut Possessionibus Episcoporum, et Comitum Capellis vel Ecclesiis cum cura animarum deservientes; cum igitur Rex Apostolicus Stephanus Stator, et Fundator Constitutionis Hungaricae primus, Decret. Lib. 2. in monitis ad filium suum, illud eidem, tanquam rectae gubernationis normam instillet, ut Rex suae concessionis immunitatem ab hominibus ditioni suae subjectis, illaesam conservari praecipiat, resque dominicas, et praerogativas Sacerdotii non solum diligenti cura servare, sed etiam augmentare satagat; qua de causa spiritui vetustae Constitutionis Patriae nostrae, tot seculorum decursu divina providentia illibate conservatae, prorsus consentanenum foret, ut Plebani Catholici tam longo temporis intervallo praerogativa, et juribus nobilitatis gaudentes, in eadem praerogativa, eidemque adnexa activitate per Status et Ordines Regni legetenus stabiliantur et conserventur.

Ut vero ad Sedes ipsas restauratorias Comitatuum propius accedamus, declarandum est: Sedes has restauratorias ad exigentiam legum Regni Hungariae omni triennio, aut si necessitas exigat, vel major Provinciae utilitas svadeat, etiam prius per supremos Comites indicendas, servandasque esse, fine deligendorum novorum, qui Magistratus Comitatenses gesturi

sunt, officialium, idque sensu Articulorum 56-i anni 1723-ii et 15-i 1729; cum vero a Parochis Catholicis, tanquam doctoribus Religionis, quae vinculum est eximium omnis civilis felicitatis, et concordiae inter cives diversarum opinionum conciliandae, utpote, cum Religio Christiana universe per Parochos Catholicos ex officio praedicata, sit doctrina verae pacis, unionis, et mutuae charitatis, eapropter a Parochis Catholicis, non solum optari et sperari, verum etiam jure merito exspectari, ac deposci potest, ut in Sedibus hujusmodi restauratoriis, doctrinae per se ex officio annunciatae, etiam operibus, et exemplo proprio specimina edant, atque in actu hoc publico insignis moderationis, animi item ab omni partium studio, ac renisu, et hostilitate alieni, tanquam virtutum civilium, ad hujusmodi Conventus fausto fine terminandos, necessariarum, documenta exhibeant, sicque speculi, ac normae instar aliis praeluceant, fidelesque nobiles ab adversa hisce virtutibus agendi ratione, verbo et exemplo revocent. Unde merito concludi potest, Parochos Catholicos, etiam si praerogativa Nobilitaris, qua semper fruiti sunt, illis jus voti in sedibus restauratoriis non tribueret, eosdem tamen ex ratione publicae utilitatis, quam in hujusmodi Conventibus fructuose promovere possunt, ad consortium et partem in hujusmodi

Conventibus capiendam per Supremos Comites vocari debere.

Neque illud, quod nonnulli praemetuendum putant, verendum existimatur, ne videlicet Parochi Catholici Systemate doctrinae, et observantia disciplinae arcte uniti, factiones inter se, occasione Sedium restauratoriarum, ad alios ab officiis excludendos, alios autem ad ea promovendos ineant; ille enim benignus culturae moralis et scientificae in Clerum Catholicum pastoralem; hactenus feliciter agens observatur influxus, quod illi laudabili moderatione et aequanimitate in differentium religionum objecto usi, licet a nobilium Evangelicorum doctrina dogmatica, et opinionibus religiosis dissideant, procul tamen absint ab omni ex capite religionis concepto odio, atque licet adversarii opinionum, personarum attamen concivium Patriae Evangelicorum sinceri sint amici, et aequanimes meriti et qualitatum aestimatores. Qua de causa illud accidit, quod experientia complurium annorum, quibus ex altissima ordinatione Regia editio et collectio votorum in restaurationibus Comitatuum, ad cognoscendam evidentius Universitatis Statuum in deligendo ad officia individuo consensionem, per singillativa suffragia peragitur, hoc ostenderit, quod multi nobilium Evangelicorum hono-

rifica in Comitatibus officia consecuti sint, pluralitate votorum per Parochos Catholicos pro iisdem declaratorum. Accedit ad haec, quod nullus sit in Regno Hungariae Comitatus adeo numeri nobilium inops, ut in illo Parochi Catholici nobilitatem pro officiis Comitatus vota dantem numero aequent, aut plane superent, ac proinde nulli ex parte Parochorum Catholicorum cum spe successus occipiendae factioni locus esse possit, atque etiam si talis factio occiperetur, irrita, et inutilis, ac inefficax evaderet. Caeterum Parochi Catholici in hujusmodi Restaurationum actibus non habent aliam intentionem, nec aliud fovent desiderium, quam, ne tali occasione nobilitas suae Religionis prematur, et in officiis consequendis negligatur, sed ut minimum a proportione numeri sui, et a ratione populationis nobiles Catholici etiam ad officia applicentur, quod est et aequitati, et rectae gubernationi congruum.